This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Solomon R. Baker
Book Fund

Made possible
by a gift
to the
Stanford
University
Libraries

[redacted]

[redacted]

-120

NOTITIA RERUM HUNGARICARUM.

CONSCRIPTA
A FRANCISCO CAROLO PALMA,
NUNC
CÆSAREO REGIO AULICO
CAPELLANO.
SS. THEOLOG. IN ACADEMIA VIENNENSI
BACCALAUREO
PROTONOTARIO APOSTOLICO,

EDITIO ALTERA,
AB AUCTORE RECOGNITA
ET AUCTA.

PARS TERTIA.

TYRNAVIÆ,

RECUSA ANNO MDCCLXXV.

LG

DB924
D3
1775
v.3

[redacted]

L. S.

Ut datam fidem liberem, en tertiam Notitiæ Rerum Hungaricarum partem: quæ ne ceteris mole eſſet inferior; uberrimam mihi præbuere materiam Apoſtolici ex Auguſta Domo Auſtriaca Reges, quorum res glorioſe geſtas, ac etiam fortiter toleratas parte hac complexus ſum. Quamdiu in obſcuris dubiisve rebus Eruditiſſimi Viri Georgii Práy Annales; ex veteribus autem Nicolaum Iſtvánffium, Wolfgangum de Bethlen, ceteroſque probatæ fidei Scriptores conſulere licuit, proniora fuere omnia; at poſtquam ad civilium incendiorum tempora ventum fuit, paulo plus laboris nactus ſum, ut e diſſentientibus ſcriptorum monumentis verum elicerem, Notitiamque Rerum Hungaricarum eodem, quo cepi, habitu, id eſt: cum veritate & modeſtia pertexerem.

§ 2 Fa-

[redacted]

Fatendum enim eſt, qui ejus ætatis res ſcripſere ; ut partibus addicti erant, multa de ſuo chartis intriviſſe, non pauca aperte falſa ; dubia vero plurima de ſuo adjeciſſe. Sic nonnulli eo improbitatis abiere ; ut optimam Apoſtolicorum Regum noſtrorum voluntatem, & ſanctiſſima quæque ad communem felicitatem procurandam conſilia iniquis interpretationibus ſuis in ſequiorem ſemper detorſerint partem : quaſi id ſibi ſolum dediſſent negotii, ut ſummos terræ Principes, quos Numen ipſum poteſtatis ſuæ conſtituit Vicarios, atrocibus calumniis apud ſubditos in odium adducerent. Alii ex adverſo medium tenere ignari, contra quam ſcriptorem deceat, acerbiore calamo Hungaros ultra modum inſectati ſunt, neque ſibi religioni duxere, iis, quæ laude digna erant, ſtudioſe prætermiſſis, illa ſolummodo, quæ ad infamiam facere poterant, multis exaggerare, paucorum errata toti genti allinere, inconditos intimæ plebis mores Nobiliſſimis Clariſſimisque viris aſſuere, adeo denique univerſam nationem atris depingere coloribus ; ut non tam rerum geſtarum Hiſto-

riam ;

[redacted]

riam; quam Satyras ſcribere voluiſſe viderentur. Certe vel acerbiſſimis illis temporibus Hungarorum in tuendis adverſus Ottomanos Regni ſui reliquiis, & ſubinde a ſervitute vindicandis fortitudo, nec non in Auguſtam domum Auſtriacam fides multis luculentisque argumentis probata fuit.

Aliam ab his ſcribendi rationem me ſecutum eſſe, res ipſa declarabit. Quod ad rerum, quas enarro, fidem attinet; nil fere attuli, niſi communi Scriptorum conſenſione, *diplomatibus, litteris publicis*, ac Regni Comitiorum decretis firmatum; etſi non ſemper & ubique fontes coronem. Veritatem porro ita ſimplicem nudamque proponere conatus ſum, ut ſummo ſemper caverim ſtudio, ne aſperius quid mihi vel invito excideret, quo prudenter quis lædi poſſet.

Habes itaque Lector benevole! quod primæ Partis præfatione pollicitus fui, Notitiam Rerum Hungaricarum inde a gentis origine, ad Auguſtæ MARIÆ THERESIÆ communis felicitatis Inſtauratricis Regnum, facili

[redacted]

& perſpicua narratione compendio deductam. Stili, quid enim id negem? inæqualitatem apud æquos cenſores excuſabunt multiplices moleſtæque muneris mei curæ, & occupationes, quæ ſcribentis animum ſæpius diſtraxerunt. Porro laboris mei fructum longe maximum me retuliſſe exiſtimabo; ſi Nobilis Juventus noſtra, cujus potiſſimum uſibus Notitia hæc conſcripta fuit, e tenui hoc Opere didicerit, vitia, quæ interdum commemorari oportuit, ſtudioſe defugere, & adductas ſæpius virtutes, atque heroica Majorum facinora imitari. Jam Lector Vale.

CON-

[redacted]

CONTENTA PARTE TERTIA NOTITIÆ RERUM HUNGARICARUM.

Tertia ſeu Auſtriaca Regum Hungariæ Periodus - - Pag. 1

REGUM III. PERIODI GENEALOGICÆ TABELLÆ.

Tab. I. - - - - - Pag. 22
Tab. II. - - - 105
Tab. III. - - - - 214
Tab. Bathor. - - - - 302
Tab. IV. - - - 355
Tab. V. - - - 473
Tab. VI. - - - 542
Tab. VII. - - - 543

RE.

[redacted]

REGUM HUNGARIÆ

Tertiæ ſive Auſtriacæ Periodi ſeries.

Anni aditi Regni.		Anni obitus.
1527	Ferdinandus I. Austriacus.	1564
1564	Maximilianus - - -	1576
1576	Rudolphus - - - -	1612
1608	Mathias II. - - - -	1619
1619	Ferdinandus II. - -	1637
1637	Ferdinandus III. - -	1657
	Ferdinandus IV. - -	1654
1657	Leopoldus M. - - -	1705
1705	Josephus I. - - - -	1711
1712	Carolus III. - - -	1740
1740	Maria Theresia - Vivit &	vivat

NO-

[redacted]

NOTITIA RERUM HUNGARICARUM.

HUNGARIA NOVA. TERTIA SEU AUSTRIACA REGUM HUNGARIÆ PERIODUS.

PROOEMIUM.

I.

[redacted]

Qui hac periodo rexere Hungariam?

LUdovico II. ad Mohacſium ſublato, Regnum omne binas in partes ſciſſum fuit: pars Joanni de Zápolya diadema Regium detulere: pars Stephano de Bathor Palatino Duce, Ferdinandum Auſtriacum Maximiliani ex Philip-

[redacted]

po Caſtellæ Rege Nepotem, Annæ Ludovici ſororis maritum ad Regnum evocavere. Zápolya poſtea e vivis erepto, univerſa res Hungarica ad Ferdinandum devoluta fuit An. MDXL. Atque ab hoc pientiſſimo, æque ac ſapientiſſimo Principe tertiæ periodo initium factum, in qua non alios, quam Auſtriacos Reges venerati fuimus, quorum Familiæ per ſolennia, ætate Uladislai II. Regis inita pacta, Hungari hæreditariam detulere S. Coronam, quin tamen primogenitorum Principum excluſis reliquis ſuccedendi jura publico aliquo monumento conſtabiliverint A). Principio Regum electio per comitiorum ſuffragia peragi conſuevit. Illud tamen ad publicam tranquillitatem, ſecuritatemque opportuniſſime ſemper obſervatum; ut primogeniti Regum filii, aut proximi ſucceſſores viventibus adhuc Patribus coronarentur: Electionis, reſtrictæ tamen ad Auſtriacos Principes,

A) Recole hic ea quæ de Tractatu Maximilianum inter Cæſarem, & Hungaros Poſonii An. MCCCCXCI. inito in rebus Uladislai II. Parte II. meminimus.

[redacted]

cipes, libertas ad Leopoldum usque Magnum perduravit: cujus cum auſpiciis recepta Buda, ejectos ex Hungaria Ottomannos læti intuerentur Hungari, ea fuere gratitudine, ut in comitiis Poſonienſibus Anno MDCLXXXVII. non modo glorioſiſſimum ejus filium Joſephum I. Regem inaugurarint, verum etiam virilis Auſtriacæ ſtirpis in Hungariam ſucceſſionem ejusdemque ordinem ultro admiſerint. Sed cum hanc in Carolo III. Rege, Imperatore hujus nominis VI. inſcrutabili divinæ providentiæ conſilio, deſituram non vane ominarentur, filiarum ejus alteram MARIAM THERESIAM Regni Hungarici hæredem, poſteroſque ejus omnes Auſtriæ imperaturos, ſucceſſores nominarunt in comitiis Poſonienſibus Anno MDCCXXIII. His autem, quod ſuperi avertant! ſublatis, Joſephi primum, tum Leopoldi Imperatoris filiarum poſteris Romano Catholica ſacra profeſſuris jus ad coronam Hungaricam eſſe voluere a). Ex Auſtriacis con-

a) Videri hæc uberius poſſunt in Codice Juris Patrii ad annos citatos.

cinenti ſerie Hungariam periodo hac moderantibus undecima eſt, quam hodie MATREM potius, quam DOMINAM appellamus, M. MARIA THERESIA Regina Hungarorum Apoſtolica, & Auguſta Romanorum Imperatrix, quam Numen optimum quam diutiſſime nobis ſervet incolumem!

Quis Regni Hungarici ſtatus?

II. Hæc temporis intercapedo* ducentorum prope annorum ſpatio, quam Hungariæ funeſta fuerit, nemo ſatis verbis deſcribet: ſed nec ea, quæ memoriæ prodita ſunt, absque lachrimis legi poſſunt. Ferdinandus I. Regnum, quod partium ſtudio diſtractum adierat, poſtquam incaſſum ad unionem revocare adniſus fuit; ad extremum prævalentibus Turcorum armis, tantum non everſum ſpectare debuit. Turcæ occupata per fraudem Buda, Regni Metropoli, poſtquam feliciſſimis uſi ſucceſſibus, præcipuas quasque urbes, & arces in poteſtatem redegerant, ſuum in Hungaria dominatum adeo in omnem partem protulerant, firmiterque ſtabiliverant, nulla

ut

[redacted]

ut arte eo dejiciendi viderentur. Ut adeo Ferdinandus I. non tam Regnum Hungariæ, quam veteris Regni reliquias ad ſuos transmiſerit ſucceſſores. Sub hoc autem Turcarum dominatu, quid Reſpublica omnis, quid ſingulæ privatim familiæ perpeſſæ fuerint, quis explicet? Nihil ab eorum libidine, avaritia & furore eximium eſſe potuit: nemo vitæ, fortunarum; nemo conjugis, aut liberorum ſecurus fuit: hæc quoties libuit, impune ſæviſſimis Dominis rapere licuit. Quot caſtra, oppida, pagi, incendio deleti? quoties demeſſæ, coloni ſpes unica, fruges, ac in Turcarum promptuaria illatæ? Quoties conjuges maritis; ſoboles Parentibus abductæ? quot hominum millia annis ſingulis in fœdiſſimam abrepta ſervitutem; unde tantus poſtea ſquallor, & ſolitudo invecta; quæ neque nunc abſtergi poteſt. Mala hæc ſi diligenter examines mirabere ſane fuiſſe nonnullos, qui Ottomanicum Auſtriaco dominatui præferre non dubitarint.

Quam noxii motus inteſtini, & unde orti?

III Fatendum ſane ad promovendas Turcarum in Hungaria progreſſiones, ſtabiliendumque dominatum, plurimum attuliſſe momenti civilia in Hungaria bella crebro hac periodo exorta. Horum præcipua fuere Botskajanum, Bethlemianum, Tököllianum, & poſtremum Rakotzianum. Auctores id genus motuum privata ambitione & avaritia æſtuantes non omittebant, vulgatis ubique litteris, cauſas, quibus jure ſe arma in Patriam Regemque corripuiſſe probarent, operoſe comminiſci. Potentiſſimus nihilominus magnes, & ſpecioſum velum fuit religio. Nam cum ipſi fere acatholici eſſent, atris omnino coloribus depingebant Auſtriacorum Regum ad Catholicam religionem revocandam Zelum; vulnera Calvinianis, Lutheraniſque inflicta exaugebant, obtendebantque, ſe ad geminæ hujus profeſſionis ab interitu vindicandæ commoda & incrementa claſſicum ſuſtuliſſe: validiſſimo huic motivo addebatur libertatum gentis, conſuetudinumque veterum propugnandarum ſtudium: enumerabantur injuriæ ab extero milite ſæpe illatæ:

tali-

[redacted]

talibus machinis imperitum vulgus concitatum, ſpecie religionis & libertatis; reapſe, ſi verum fateri volumus, in conjuratorum Principum utilitates auctoratum fuit. Hunc in modum armato vulgo, multi clariſſimi viri intentato vitæ ac fortunarum amittendarum metu adacti; quo ſe diſcrimini ſubductos utilius aliquando Regi patriæque ſervarent, tempori cedendum rati, in eandem belli ſocietatem, vel inviti abiere. Gaudebant interea his diſſidiis Turcæ, resque ſuas augebant egregie, ac una avide tempus opperiebantur, quo debilitatam mutuis vulneribus Hungariam penitus aliquando ſibi ſubjicerent. Porro ad bella civilia multum contulere nonnulli Chriſtiani Europæ Principes, quo ſic Auſtriacæ Domus vires diſtraherent, ad cujus gloriam potentiamque deprimendam ſat diu incumbebant. Sic Proteſtantes Imperii Germanici Principes, eorumque ſocii Dani & Sueci arctiſſimam cum Hungariæ, Auſtriæ, Bohemiæ, Moraviæque proteſtantibus fœderis ſocietatem diu coluere: ſic Galliæ Reges præſertim Ludovicus M. id omni conatu

agebant, ut Hungaros inter & Auguſtam Domum diſſidia continuo alerent: hinc quoties bellum cum Auſtriacis gerendum erat, per literas nunciosque gentem Hungaram ſpecie libertatum recuperandarum ad arma in Principes ſuos excitare, Conſilio, æreque adjuvare in more habuere; id quod Tököliano imprimis Rakotzianoque bello patuit: cum vero pax ſubinde ineunda fuit, hanc nulla habita Hungarorum ratione ſanciebant, ut appareret Gallos non tam Hungaris favendi, quam Auſtriacis nocendi ſtudio id genus artes arripuiſſe: id quod ſero admodum ab Hungaris magno ſuo incommodo animadverſum fuit. Denique ad pacem domi turbandam non parum momenti attulere Transſilvaniæ Principes. Lecti hi fuere libera gentis ſuffragatione Hungaro Regi æque, ac Turcico Imperatori obnoxii, idque ea de cauſa, ut Provinciam in pace conſervarent, Turcici non minus, quam Hungarici belli expertem: perfacile id etiam fuiſſet, quod Hungariæ Reges minime eam laceſſituri erant, Turcæ autem modico vectigali deliniti, ab omni abſtine-

[redacted]

ſtinebant hoſtilitate. Verum ambitioſi Principes ſorte ſua non contenti, ubi primum adepti ſunt principatum, ſollicite circumſpicere cepere, qua ratione non tam ſubditorum, quam privata familiæ ſuæ commoda procurarent, ad eamque potentiam res ſuas proveherent, qua poſteris hæreditariam liberrimi tum Tranſilvaniæ Regni poſſeſſionem ſtabilirent. Quia vero Ordines Transſilvaniæ liberæ electionis conſervandæ ſtudioſi, per opportunas leges Principum ſuorum cupiditati frenum injecerant, vetuerantque, ne illi familiæ ſuæ ullas poſſeſſiones opesque in Transſilvania aquirere poſſent; ambitioſi Principes præſertim Bethlemius & gemini Rakotzii in vicinam Hungariam conjecere oculos, atque illic, quia pace non licebat, vi, armisque novas ditiones opesque ſibi, ſuisque extorquere ſtuduere. Deſtinato ex privata cupiditate bello ſpecioſas cauſas excogitare vulgareque difficile non fuit. Gemina illa, quæ ſuperius meminimus, civilium bellorum illicia, quam plurimos ex Hungaris adhærentes peperere. Itaque ſæpius Transſilvaniæ Principes infe-

[redacted]

ſtis armis non ſine ſucceſſu Hungariam invaſere, crudeliſſimisque populationibus eas etiam partes, ad quas Ottomanicus furor non pertinuerat evaſtavere: præcipue Joannes Sigismundus Zápolyæ filius, Gabriel Bathorius, Bethlemius, & Georgius Rakotzius. Reges autem Hungariæ Turcici, aliorumque bellorum in Germania ſubinde religionis cauſa exortorum mole preſſi, non raro ab iis victi, pulcherrimam ad Tibiſcum Hungariæ portionem eorundem cupiditati cedere coacti fuere: ut adeo fere ſemper VII. Hungariæ Comitatus in Principum Transilvaniæ fuerint poteſtate. Quamvis autem eorum uſus fructus Perſonæ Principum collatus fuerit, nunquam tamen pulcherrimus ille Hungariæ tractus ab Hungaria avulſus, aut Transſilvaniæ incorporatus fuit.

Quæ religionis damna?

IV. Inter has Reipublicæ Hungaricæ jactationes adeo in anguſtum coacta fuit religio Catholica, ut propediem interitura videretur. Potentiſſimæ quæque familiæ Lutheri, & Calvini dogmata adoptaverant.

Mul-

[redacted]

Multum ad ruinam Catholicæ religionis contulere Ferdinandi, & Maximiliani Regum Belliduces acatholici, quibus non minus militaris expeditionis, quam novorum dogmatum cura fuit. Præterquam, quod multos exemplo ſuo & auctoritate ad Proteſtantium ſacra traduxerint, copioſos inſuper cum Reformatos, tum Evangelicos præcones ſecum deducebant, quos curionum vice civitatibus, oppidis, & pagis impoſuere, idque eo facilius, quia demortuis Catholicis Parochis, nulli ea temporum iniquitate novi poterant ſuffici: nulla tum erant *Cleri Junioris Seminaria*, Monaſteria deſerta ab incolis ſquallebant, nulli fuere Catholici ſcientiarum Profeſſores, nulla Gymnaſia: ut adeo viri nobiles proles ſuas ad exteras, easdemque acatholicas Academias mittere neceſſe haberent; unde reduces inſignem quidem ſcientiam, at una contraria Catholicis dogmata in patriam revehebant. Prælatorum non ea fuit auctoritas, quæ ruenti religioni opem ferre poſſet: exules a ſuis Diœceſibus inane nomen gerebant, bona Epiſcopatuum profanis

[redacted]

nis hominibus per iniquitatem temporum uſurpantibus. His rerum rationibus Auſtriacorum Regum fides, & conſtantia fuit, quæ ultimam religionis ruinam non ſine graviſſimis curis, & laboribus prohibebat, exitu, quem nunc demum videmus, optatiſſimo. Nil non egere ii, ut diſſidia religionis per univerſam pene Europam ad mutuas cædes erumpentia componerent. Eum in finem coactum Tridenti frequens Antiſtitum Catholicorum concilium A). Expli-

A) Cœpit Concilium Tridentinum An. MDXLV. ſub Paulo III. Pontifice Maximo, præſidentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, continuatum per plures annos optatum finem accepit ſub exitum A. MDLXIII. ſub Pio IV. Pontifice, qui illius decreta omnia & ſingula rata habuit, vulgata eum in finem Bulla confirmationis VII. Calend. Februarii A. MDLXIV. Celeberrimi hujus Concilii hiſtoriam omnium accuratiſſime ſcripſit Sfortia Pallavicinus e S. J. poſtea S. R. E. Cardinalis. Aderat illic Regis Hung. Orator Georgius Draskovics Quinque-Eccleſiarum, Paulus Kolosvári, Chanadienſis, & Dudichius Sbardellatus Tininienſis Epiſcopi: poſtremus hic ſubinde turpiter a fide receſſit.

[redacted]

plicata illic vetus Apoſtolica fides, damnata ei contraria dogmata: abuſus, quos in Eccleſiæ diſciplinam irrepſiſſe, & ſeceſſioni ſuæ cauſam præbuiſſe querebantur Acatholici, ſeveriſſimis legibus correcti. Nil tamen fere ſalubri hoc remedio profectum videbatur.

Quomodo reparata?

V. Has inter fidei Catholicæ ruinas tantum abeſt, ut animum deſponderint Reges noſtri, ut potius majorem ad eas reparandas conceperint ardorem. Regum exemplo & auctoritate protecti Præſules nullis curis, *nullis pepercere laboribus*, ut creditas ſibi Eccleſias ad veterem ſanctimoniam & integritatem revocarent. Ubi primum a belli tumultibus poſt Solimanni obitum reſpirare aliquantum licuit, malum a radice curare aggreſſi, de tollenda ignorantia, ſtabiliendisque Catholicis ſcholis cogitare ceperunt. Primus id tentavit Nicolaus Olahus Strigonienſium Archiepiſcopus, evocatis Tyrnaviam aliquot Societatis Jeſu Duce D. Ignatio haud ita pridem na-

tæ

[redacted]

tæ a) Patribus, qui & concionibus ad populum habendis, & litteris tradendis vacarent. Olahi curas morte interceptas felicius in effectum deduxit Rudolphus Imperator erecto perpetuis redditibus eorundem Patrum Collegio. Hoc rurſum domeſticis turbis prope diſſolutum, ſtudio Cardinalis Pazmani, ac Ferdinandi II. Cæſaris æquitate & munificentia reſtitutum fuit, magnoque diſcentium adoleſcentium numero frequentatum. Gymnaſio Tyrnavienſi ab eodem Card. Pazmano addita paulo ſerius Academia, conſtitutis ſeveriorum: Theo-

logiæ

a) Coaluit primum Lutetiæ Pariſiorum Societas Jeſu e novem Sociis SS. Theologiæ Doctoribus per D. Ignatium gente Hiſpanum, ad quærendam toto ſtudio animarum ſalutem excitatis. Confirmavit eam multis cum encomiis An. MDXL. Paulus III. Pontifex. Illius inſtitutum, commendante imprimis Carolo Cardinale Lotharingo, probavit Eccleſia in Concilio Tridentino collecta ſeſſione XXV. quæ fuit die IV. Decembris, An. MDLXIII. Idem poſt S. Pium V. Gregorium XIII. roboravit noviſſime Clemens XIII. Pontifex Maximus miſſo in omnes Provincias brevi Apoſtolico, An. MDCCLXIV. VII. idus Januarii ſignato.

[redacted]

logiæ & Philoſophiæ Profeſſoribus e S. J. Primum itaque Tyrnaviæ poſt centum prope annorum exilium Catholicæ litteræ refloruere, ignorantiaque depelli cepit. Jacto hoc fundamento, alterum reparandæ religionis medium Judicio Tridentinæ Synodi præſcriptum, diligenter arreptum fuit; contubernia intelligo, alia quidem pro juniore Clero, ad curam animarum a teneris formando; alia pro Nobili Juventute Hungarica, quæ Tyrnaviæ primum ſurrexere, mox in aliis quoque Regni civitatibus ingenti rei Catholicæ commodo excitata ſunt, una cum Gymnaſiis & Academiis. Geminis his adminiculis, creſcebat in dies doctrina, virtute, & numero adoleſcentum Clerus, creſcebant idonei pro Paræciis Curiones, creſcebat in maxima olim Eccleſiæ & Patriæ columina Nobilis Juventus Hungarica, procurati religioſis cœtibus pene jam emortuis idonei candidati. Eccleſiarum ejus temporis Antiſtites, quos totidem Apoſtolos dixeris, & vitæ Sanctioris exemplo, & prædicatione, ac denique celebratis crebro conciliis & Provincialibus,

[redacted]

bus, & Diœceſanis A) diſciplinam primum Cleri, tum fidem & mores populi inſtauratum ibant ſucceſſu lætiſſimo. Utiliſſimam Clero navávere operam variorum Ordinum Religioſi cum per ſcholas, tum per conciones, tum vero maxime per ſuſceptas in omnem partem Miſſiones Apoſtolicas, non ſudore ſolo, verum etiam profuſo generoſe ſanguine ſæpius rigatas. Qua in re quoniam non minimus videbatur conatus Societatis Jeſu virorum, Venerabilis Clerus Hungaricus in nationali Synodo Anno M. DCXLVIII. ſub Georgio Lippay Hungariæ Primate Tyrnavienſi in urbe congregatus, ut id genus labores Apoſtolicos luculento aliquo facto remuneraretur, unanimi conſenſione Clericos Regulares Societatis Jeſu in

A) Synodos ſub Nicolao Olaho, Cardinalibus: Franciſco Forgáts, & Petro Pázmano, cæteriſque Antiſtitibus Tyrnaviæ, & alibi celebratas, earumdemque conſtitutiones ſanctiſſimas vulgabit P. Carolus Péterfi e S. J. Conciliorum Hungariæ Parte II. quem, ut adeas, auctor ſum.

in corpus ſuum cooptavit A), veraque & legitima Cleri Hungarici membra eſſe de-

A) Oculatus hujus teſtis, atque omni exceptione major eſt Celſiſſ. ac Reverendiſſ. D. Georgius Lippai Strigonienſis Archiepiſcopus, in litteris, quas ea de cauſa vulgavit: ubi paucis præmiſſis ſic loquitur: „Cum igitur ex univerſi Regni Prælatis „majoribus & minoribus dicta Nationalis Synodus „(An. MDCXLVIII.) legitime collecta, multa variaque pro bono ſpirituali animarum nobis commiſſarum tractaret, placuit eidem ſacræ nationali Synodo, de venerabilibus quoque, & eximiis „Eccleſiæ noſtræ membris, ac ſedulis pro gloria „Dei excubitoribus, Societatis Jeſu Patribus ſuam „declarare ſententiam. Inhærendo itaque veſtigiis „Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. quondam felicis recordationis Archiepiſcoporum Prædeceſſorum noſtrorum, Reverendiſſ. Epiſcoporum, & reliquorum „Prælatorum, qui cum alias; tum anno MDCVIII. „ſingularem ſuum in Patres dictæ Societatis Jeſu „affectum publicis ſunt teſtati inſtrumentis, utque „eosdem Patres, ac univerſam Societatem Jeſu „arctius nobis in Domino adſtringeremus, Sacra „Nationalis Synodus in hæc formalia verba convenit: „*Sicut neque hactenus in dubium revocavit Status Eccleſiaſticus, ita in præſenti quoque ſacra Synodus recognoſcit, Societatis Jeſu Patres*

[redacted]

claravit. Quo inſigni in ſe favore animata Societas majore adhuc ſtudio in Hungarica Domini vinea elaboravit. Sic unitis in unam Dei gloriam, & animarum ſalutem animis & viribus, cum & Antiſtites, & Curiones, & Religioſi viri ſuas ſtrenue agunt partes, zeloque ſinguli pro viribus & facultatibus indulgent; dum poſt introductam apud Catholicos Tyrnaviæ & Caſſoviæ Typographiam, de Controverſis fidei quæſtionibus libelli utiliſſimi ſparguntur, dum editi a Proteſtantibus ſolide ac copioſe refelluntur; Apoſtolicis Regibus pios conatus favore & auctoritate ſua adjuvantibus,

---

vera, & legitima Cleri, Statusque Eccleſiaſtici in Regno Hungariæ, ejusdemque annexis Regnis, & Provinciis eſſe membra. „ Quæ ſacræ nationalis Sy„ nodi declaratio, ut teſtatior fieret, ac futuris „ etiam temporibus omnibus cujuſcunque ſtatus, „ conditionis, præeminentiæ id ipſum innoteſcere „ poſſit, has auctoritate publica, Sigillo & ſub„ ſcriptione noſtra munitas dedimus. Tyrnaviæ 2. Decembris An. MDCXLVIII. Apud P. Péterſi Concil. Tom. II. pag. 383. Gratitudo flagitabat; ut inſigne hoc Cleri Hungarici adverſus Societatem propenſionis argumentum hic commemorarem.

tibus, factum eſt denique, ut Hungaria major ſui, & quidem nobiliſſima, quæ Magnatum eſt, parte ad veterem Jeſu Chriſti Eccleſiæ, Divi Stephani I. Regis noſtri ſudore, & prædicatione plantatæ ſinum redierit, præcipue poſtquam ejectis ex Hungaria Turcis, ſopitiſque civilibus bellis; quod potiſſimum ſub Carolo III. Hungariæ Rege accidit, tranquillitas Patriæ, duobus prope ſeculis exulans reſtituta fuit. Quin eà eſt Divinæ gratiæ Hungaricæ gentis ſalutem operantis vis & efficacitas, ut annis ſingulis, quam plurimos ſponte ſua ad ovile Chriſti revertentes lætiſſimi intueamur. Id nempe proprium eſt Catholicæ Eccleſiæ, ut oppreſſa reſurgat illuſtrior, opiniones que eidem ad tempus adverſantes evaneſcant penitus; Ut adeo verum ſit illud Chriſti: nec portas inferi contra Eccleſiam capiti ſuo in terris D. Petri ſucceſſori unitam prævalituras.

VI. Hæc itaque, quam compendio hic præmiſimus, & aliquanto diffuſius mox narraturi ſumus, ſunt Hungariæ facies; Quæ merita Regum Auſtriacorum in Hungariam?

fœda diu admodum, at ſubinde lætior: quod cum cogitamus, meminiſſe nos oportet, multum Auſtriacis Regibus debere Hungariam, ad quam e manibus Turcarum eliberandam duorum prope ſeculorum intervallo, quantas curas & labores exhauſerint, quam immenſos profuderint ſumtus; quot bellatorum millia conſecraverint; quis eſt, qui accurate ad calculum revocet? Reges ipſi non raro, aut Regum filii in campum prodire, caput periculis objicere, ac cum immaniſſimis hoſtibus congredi non dubitarunt. Vicit demum cauſæ æquitas, & Regum noſtrorum pietas: depulſi Aſiatici hoſpites, Hungaria e ſervitute vindicata. Quale item illud cenſendum? quod Catholicam Religionem jam jam in ruinam pronam Regum Auſtriacorum conſtantia, & ſuaviſſimus ardor tot inter diſcrimina, cum tanta perſæpe fortunarum ſuarum jactura, non modo feliciter ſuſtinuerit, verum etiam priſtino ſplendori jam prope reſtituerit. Habuere nempe id ſemper proprium Auſtriacæ domus Principes, ut magis Divinam; quam ſuam quærerent glo-

gloriam; pro temporariis, quæ a ſubditis nanciſci ſolent emolumentis, æternum duraturam felicitatem ſuis procurarent: cujus Chriſtiani, piique regiminis merces eſt illa humanæ gloriæ, & potentiæ ſublimitas, ad quam potentiſſimorum æmulorum ingratiis, Divini Numinis providentia Auguſtam hanc domum evexit, evectam quam diutiſſime, glorioſiſſimeque protexit, porroque tutabitur. Sed jam quæ ſub Auſtriacis Regibus in Hungaria geſta ſunt, brevibus perſequamur.

TABULA I.

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI III.

Rudolphus I. Habsburgicus Rom. Imp. Com. Tyrolis ✠ 1291.

Albertus I. Rom. Imp. Dux Auſtriæ ✠ 1308.

Fridericus I. *Pulcher* Rom. Imp. ✠ 1330. | Albertus *Sapiens* Dux Auſtriæ ✠ 1358.

Leopoldus *Probus* Dux Auſtr. ✠ 1386. | Albertus *cum Trica* Dux Auſtr. ✠ 1395.

Erneſtus *Ferreus* Aquiſit. Styr. & Carinth. ✠ 1424. | Albertus *Mirabilia Mundi* Dux Auſtr. ✠ 1404.

Fridericus III. *Placidus* R. Imp. ✠ 1493.
Conjux Eleonora Luſitana.

Albertus Rex Hung. & Boh. Rom. Imp. Dux Auſtr. ✠ 1439.
Con. Eliſab. Sigismundi Hung. Boh, Reg. Rom. Imp. filia ✠ 1443.

Maximil. Rom. Imp. ✠ 1519.
Con. a Maria hæres Burgund.
b Blanca Maria Mediolan.

Anna ✠ 1462.
Vilhelm. Miſſn.

Eliſabetha ✠ 1505.
Caſimir. IV. R. Pol.

Ladislaus V. Poſth. Rex Hung. Boh.
Dux Auſtriæ ✠ 1457.

Philippus Auſtr. Rex Caſtellæ ✠ 1506.
Joanna Ferdin. Reg. fil. hær. Hiſp. ✠ 1555.

Uladislaus II. Rex Hung. Boh. ✠ 1516. & cet. proles.
Con. Anna Foxia.

Carolus V. Rom. Imp.
Rex Hiſp. ✠ 1558.
Hujus poſteri Reges Hiſp. Rom. Imp.
in Carolo II. An. 1700.
defecerunt.

Ferdinandus I.
Rex Hung. Boh.
Rom. Imp.

> *Ex hoc connubio poſteros vide Tab. II.* < Anna

Ludovicus II. Rex Hung. Boh.
ad Mohács ✠ 1526.
Con. Maria Ferd. I. Soror.

FER-

FERDINANDUS I.

REX XXXIX. ROM. IMP.

A. C. MDXXVII.

FERDINAND. I.

I.

Ubi, & qua pompa inauguratus?

PEracta, ut ſuperius retulimus, Poſonienſibus in comitiis, agente Stephano de Báthor Palatino, ſuperiore jam anno Ferdinandi Auſtriaci electione, eademque per novum ſenatus conſultum rurſum in conventu Budenſi roborata A), maximi apparatus ad illius inaugurationem III. nonas Novembris *Albæ Regiæ* habendam decreti ſunt. Poſtquam Anna Hungara novi Regis conſors, & ſoror Maria Ludovici vidua Budam ſecundo flumine appulere, Ferdinandus IV. Calend. Nov. cum Anna conjuge, & ſorore Maria Reginis, ac Proceribus, ſex mille cum peditibus, tum equitibus ſtipatus Albam Regiam tetendit. Urbem tum florentiſſimam ſplendida pompa

A) Vide ea quæ in Joannis de Zápolya rebus diximus Parte II.

FERDINAND. I.

ingreſſus, pro innata genti Auſtriacæ pietate, ante omnia Principem urbis, Regum inauguratione, & funeratione illuſtrem Baſilicam inviſit, Deoque, qui ſibi tantum Regnum conſequi dederat, gratias egit. Exactis diebus aliquot, ubi IV. nonas Novembris ejusdem Anni MDXXVII. Petrus de Perény, quem ad partes Ferdinandi traductum alibi meminimus, diadema Regium attuliſſet, coronationis ſolemnia, quemadmodum ante conſtitutum fuit, in diem inſequentem decreta ſunt. Ut illuxit, præeunte longa Antiſtitum, & Procerum ſerie, ac nominatim Volfgango Comite Baſinienſi enſem: Alexio Thurzone globum aureum; Petro de Perény ſceptrum, ac Palatino denique Báthorio coronam, cuncta D. Stephani Regis inſignia præferentibus, in Baſilicam B. V. M. proceſſum fuit. Hic Divi Proto-Regis amictum indutus Ferdinandus, mox a recitata Miſſæ Epiſtola ad Aram deductus, conſuetum jusjurandum nuncupavit. Sacro ubi poſtea perunctus fuit oleo, per Palatinum ternis vicibus interrogati præſentes, an Ferdinan-

dum,

[redacted]

FERDINAND. I.

dum Regem juberent, cùm concordi voce toties placere ſibi reſpondiſſent, Nitrienſis Epiſcopus (ægrotabat quippe Paulus Vardai Strigonienſis Archiepiſcopus) diadema, quod interea ſuſpenſum tenebat, Regio impoſuit capiti, dextram ſceptro, ſiniſtram globo aureo, latus denique D. Stephani gladio exornavit: nec mora Rex ad præparatum ſibi ſublimiorem locum rediit. Peracto miſſæ ſacrificio, iterum ad aram deductus Dominico JEſu Chriſti corpore pereundem Nitrienſem refectus fuit. His finitis, per inſtratas panno vias itum in ædem D. Petri *Apoſtolorum Principis*, ubi auratis Equitibus pro more creatis, extra urbem Equo vectus, in templo D. Martini Hungariæ tutelaris uſitatum Regni Ordinibus ſacramentum dixit: quo tempore adſtantes ad fidem ſibi ſervandam, opemque, cum opus foret, præſtandam appoſita oratione cohortatus fuit. Inter redeundum proximum conſcendens collem, in quatuor mundi plagas enſem diſtrinxit, eo ritu ſignificans, ſe Regni fines adverſum quosvis hoſtes tutaturum amiſſosque recuperatu-

FERDINAND. I.

rum. Poſtremæ huic in Albenſi urbe inaugurationi A) finem impoſuit opiparum convivium, cui XXXIII. ex Epiſcopis, & Magnatibus accubuere; id quod hilariter in multam usque noctem productum fuit. Die inſequente ritu ſolito Regina Anna coronata. Ab inauguratione complures dies opportunis de Republica conſultationibus Albæ Regiæ impenſit Proceres, qui Ferdinandum hactenus ſecuti ſunt, ſuis in dignitatibus confirmati, aut novis excubi honoribus: gemini floreni a portis ſingulis novi Regis uſibus decreti: habitæ denique ſummo cum luctu Ludovico Regi exequiæ III. idus Novembris in Principe Urbis Baſilica.

Qui proſpectum Regiæ ſecuritati?

II. His ex ſententia geſtis, gravis Ferdinandum inceſſerat metus; ne Solimannus,

A) Inaugurationis hujus ritum conſulto hic ſuſius deſcripſimus ex Urſino Velio, ut veteris Albæ Regiæ coronandi moris ideam aliquam haberemus: à quo non multum hodierna Poſonii inaugurationis ratio differt.

FERDINAND. I.

nus, ſive Joanne Zápolya hortatore; ſive ſua ſponte Hungariam futuro vere invaderet: tanto igitur ut occurreret diſcrimini, conventum in anni ſequentis MDXXVIII. principium Budam, ubi ipſe interim morari conſtituerat, indixit. Aderant ad præſtitutum diem ſane quam frequentes: tria hic potiſſimum decreta: primum, ut Prælati, Barones, & Nobiles non modo ipſi ad futurum bellum expediti ſint; verum etiam colonos pro periculi magnitudine, quam maximo numero auctoratos, equis, armis, ceteroque belli apparatu inſtructos in promtu habeant; quo ad primum Regis mandatum ſub fortunarum amiſſione, pro patriæ ſalute dimicaturi in caſtra convolare poſſint: ſtipendium inſuper Albæ Regiæ promiſſum nova lege roboratum; denique Joanni Regi adhærentes hoſtes Reipublicæ pronunciati, veritum inſuper iis, qui ſemel Regis gratiam impetraverant, rurſusque ad Zápolyam ſeceſſerant, ſalvum, ut ajunt, conductum impertiri A). Soluto conven-

A) In Codice Juris Patrii.

FERDINAND. I.

ventu, Rex Senatum ſeu Conſilium Regium Palatino Stephano de Bathory & Paulo de Varda Strigonienſi Metropolitæ Præſidibus, e Primoribus Regni conſtitutum Budæ erexit, ſe abſente Rempublicam procuraturum A), tum vero S. Coronæ Regiæ cuſtodiam Petro de Perényi, ærarium Regium Alexio Thurzo, literarum publicarum ſeu Archivi curam Magiſtro Beregſzászi, Urbis denique Budenſis præfecturam & ſupremum in præſidiarios tam Hungaros quam Germanos milites imperium Thomæ de Nadasd fidei credidit. His actis, Buda nunquam videnda amplius, quam pluribus incoluerat menſibus, An. MDXXVIII. ſupremum diſceſſit Viennam, inde Pragam ad ſacras, profanasque res curandas profecturus.

Quid interea mali conflatum Hungariæ?

III. Per hæc tempora Joannes Zapolius triplici per Ferdinandi Duces clade attritus in Poloniam, ut diximus, ad Joannem Tar-

A) Iſtvanfi Hiſtor. Lib. IX. Wolfgangus de Bethlen Hiſtor. Lib. I. pag. 38. Urſinus Velius Lib. 1.

[redacted]

FERDI-NAND. I.

Tarnovium præpotentem Dynaſtam ſe receperat. Inde datis ad Pontificem, alioſve Chriſtianos Principes litteris opem nequidquam implorabat. Egit etiam Sigiſmundo Poloniæ Rege Affine cum ſuo, arbitro, de pace cum Ferdinando: ſed cum iſte niſi Regni jure ſe abdicaret Joannes, nullam concordiæ ſpem offerret, eo demum hominem Regni egit cupiditas; ut ad Solimanni Turcarum Imperatoris opem confugère non dubitarit, illud Virgilianum uſurpens: *flectere ſi nequeam ſuperos, acheronta movebo.* Itaque Hieronymum Laſcium Siradienſem Palatinum hujus conſilii auctorem Bizantium An. MDXXVIII. ablegat; Solimanni auxilium ad depellendum Regno Hungariæ Ferdinandum illic imploraturum. Difficilem principio ſenſit provinciam Laſcius, quod Turcæ contendentibus de Regno æmulis in rem ſuam uti, Regnumque Hungariæ ſuo dominatui penitus ſubjugare in Senatu ſuo dudum ante decreverant. At captata muneribus, variiſque humanitatis officiis Purpuratorum benevolentia, conciliatoque nominatim Lu-

dovici

[redacted]

FERDINAND. I.

dovici Gritti Veneti a) opera Ibraimi Vezirii animo, mox proniorem ad pacem expertus fuit Solimannum. Itaque poſt multas altercationes his demum pactis Turcas inter & Joannem Zápolyám fœdus confectum fuit: Solimannus Joannem vi, armisque ſuis Regno reſtitueret, reſtitutum adverſus Ferdinandum protegeret: Joannes contra perpetuam cum Ottomanica Porta coleret amicitiam, armorumque ſocietatem, quin tamen vectigal ullum pendere neceſſe foret. His capitibus utrinque juramento firmatis b) maximi ad futurum con-

a) Erat Grittus Bizantii Andrea Gritto poſtea Senatus Veneti Principe ex Concubina Græca genitus, commercio gemmarum, & vafro imprimis ingenio in intimam apud Ibraimum Vezirium, & Solimannum Imp. admiſſus gratiam, multarum deinde Hungariæ calamitatum auctor. Vide Jovium Lib. XXVIII. pag. 282.

b) Qui hoc minutius cognoſcere cupit, inſpiciat Ephemerides Laſcianæ Legationis, quas meritiſſimus de Patria Cl. Mathias Bel apparatui ad Hiſtor. Hung. inſeruit. Decade I. Monumento IV. & Prây retulit in Annal. Reg. Hung. ad A. MDXXVIII.

An

[redacted]

contra Ferdinandum Regem bellum id eſt Hungariæ exitium apparatus fieri cepere Bizantii. Hanc Laſcii negotiationem, ac fœderis tractationem faciliorem reddidit improvida agendi ratio Joannis Hobordanſzki, quem paulo prius Ferdinandus ad ſtabiliendam cum Solimanno pacem Conſtantinopolim legatum miſerat. Nam ut erat vir militaris & artium politicarum ignarus, quo Domini ſui Ferdinandi Regis Hungariæ dignitatem tueretur, proculque ab omni eſſe metu Hungaros declararet, Belgradum & quidquid ultimo bello ab Hungariæ finibus avulſum fuit, audacter repetebat; ſecus pacem confieri poſſe negans. Ea Legati jactantia ultra modum commotus Solimannus hominem extemplo faceſſere, Ferdinandoque renunciare juſſit, venturum ſe propediem, marteque judice lites compoſiturum. Unde luculentum fieri puto, Ferdinandum Turcorum in Joannem patrocinium

FERDINAND. I.

An autem aliquid juris ex hoc fœdere Turcis in Hungariam acquiſitum ſit: Vide apud Clar. Benzur in *Hungaria ſemper libera* pag. 78.

FERDINAND. I.

nium minime imploraſſe, neque tunc tributariam Turcis obtuliſſe Hungariam, quod nonnulli perperam criminati ſunt A).

Quomodo inſtauratæ Joannis partes?

IV. Interea temporis Laſcius rebus feliciter confectis, citatiſſimis itineribus ſub exitum Anni MDXXVIII. in Poloniam delatus, Joannem incredibili lætitia, certiſſimaque Regni Turcarum ope recuperandi ſpe complevit. Nequid igitur in mora eſſet, continuo litteras per F. Georgium Uthyſenichium vulgo Martinuſium gente Croatam, Ordinis S. Pauli I, Eremitæ Alumnum B) Joannes in Hungariam ad amicos

A) A calumnia hac ſemet purgavit Ferdinandus ipſe datis litteris, quas conſule apud Práy in Annal. ad An. MDXXX.

B) Natus erat Georgius nobili in Croatia loco, octennis in Joannis Corvini Ducis aulam traductus, XVI. annos in arce Hunyad exegit, inde ad Stephani de Zápolya viduam Duciſſam Teſchinenſem ſe recepit, ubi aliquamdiu commoratus, rerum humanarum faſtidio, S. Pauli I. Eremitæ Religioſis ſemet man-

[redacted]

FERDI-NAND. I.

eos deſtinat, quos de Solimanni favore, & apparatu edoctos majorem in modum orabat; ut ſibi primo quoque tempore in Hungariam redituro, quam poſſent maximis cum copiis occurrerent. Non multo poſt de clientum voluntatibus certior factus Joannes, Polonicis ſtipatus cohortibus irrumpit, Ferdinandeosque Duces nil

mancipavit, primum laicos inter; tum vero litteris egregie excultus, ſacerdotioque initiatus, pluribus magna cum prudentiæ laude præfuit monaſteriis. Profugum deinde Joannem de Zápolya in Poloniam conſequutus fuit, utilemque illi & fidelem navavit operam. Ter iter in Hungariam pedes fecit, copioſa imprimis ſubſidia nominatim a Jacobo Tornyali, Stephano Báthori de Somlyo, & Paulo Arthándy, eidem Regi egeſtate laboranti attulit; poſtremo vero hoc itinere, quam plurimos conciliavit. Ob tot merita ut viro gratiam referret Joannes, ad Varadinenſes promotum infulas præcipuum Aulæ ſuæ conſtituit adminiſtrum. Hanc vitæ ſuæ ſeriem Georgius ipſe memoriæ prodidit, datis ad Verancium, ſive Vrancium Strigonienſem poſtea Archiepiſcopum literis, quas luci dedit Práy in Annal. Reg. ad An. MDXXXIV. Memorare hæc opoptuit, ut viri, qui præcipuam poſtea in Theatro Hungarico perſonam ſuſtinuit, notitiam haberemus.

[redacted]

FERDINAND. I.

ſiniſtri ominantes ad Caſſoviam per ſuos profligat. Victoriæ hujus fama de induſtria exaucta valuit plurimum ad conciliandos multorum animos: quaſi enim jam cum Ferdinando debellatum eſſet, ingens continuo ad Joannem ex earum partium Hungaris & Tranſilvanis ceu victorem concurſario facta. In Sclavonià etiam complures e Proceribus Ferdinando hactenus addicti adventus Solimanni metu perculſi ad Joannem vel inviti receſſerant.

Quando occupata a Turcis Buda?

V. Neque diu ſuam Solimannus diſtulit profectionem: adulta enim æſtate Anno MDXXIX. innumerabiles explicuit copias in campis Mohácſianis, ubi illum honoris cauſa cum Proceribus ſuis obviam progreſſus Joannes ſalutavit, oſculoque manus Patronum veneratus fuit. Ingens ea propter Solimanni gaudium cumulavit Joannes Szerecsénius Quinque-Eccleſienſis Epiſcopatus invaſor, qui Petrum Perényium e Sikloſia arce ſua cum Regni clenodiis ad tutiora loca fugientem, ex inſidiis interceptum tum forte adduxerat. Ea præda auctus Soli-

man-

FERDINAND. I.

mannus promotis caſtris, IX. Calendas Septembris Budenſem agrum attigit, Joanne Peſtana in ripa cum ſuis caſtra metante, Flumentana Budenſis urbs incolis vacua mox Turcarum ſubiit jugum: arx ſat diu firma ſtetit, quod ei Thomas de Nádasd vir inſigni fortitudine, & in Regem ſuum Ferdinandum fide præerat; at enim non ea fuere virtute & conſtantia DCC. milites præſidiarii germani, quos Ferdinandus illic præſidio reliquerat: proſtrata enim cuniculorum impetu mœnium parte aliqua, pannico terrore correpti, invito Nádasdio, de deditione cum Turcis agere ceperûnt: quin eo progreſſi ſunt, ut Præfectum perfidiam & ignaviam exprobrantem in vincula conjicere, obtentoque libero ſuis cum rebus ex urbe commeatu, arcem una cum ejus Præfecto Nádasdio Solimanno tradere non dubitarint. Præſidiarios contra datam fidem a Janicsaris ſpoliatos cæſosque ferunt. At Nádasdius, vel a Turcis ob fidem in Regem ſuum æſtimatus, cum exitio ſibi fore, ſi domum rediret, ſagaciter animadvertiſſet, impetrata navicula in oppoſitam danu-

FERDI-NAND. I.

bil ripam evadit A). Illic Joannis Regis genibus affuſus ægre admodum Ludovici Gritti opera gratiam obtinuit, nec prius tamen liber dimiſſus, quam fidem ſuam Joanni obligaſſet, id quod Ferdinando conniventе præſtitit: non multo tamen poſt videlicet Anno MDXXXII. deſertis Joannis partibus ad priorem Dominum rediit B).

VI.

A) Modus amiſſæ Budæ, & Thomæ Nádasdii fata varie a Scriptoribus narrantur. Lege ſi placet Jovium Hiſtor. ſui temp. Lib. XXVIII. Iſtvanſi Lib. X. Urſinum Velium de bello Panon. Lib. VI. Joannem de Zermegh de rebus Ferdinandi & Joannis Regum.

B) Deſponderat ſibi Nádasdius in ditione Ferdinandi, unicam filiam Ladislai de Kaniſa. Itaque nuptiarum cauſa ex aula Budenſi diſcedendi facultatem obtinuit: neque unquam deinceps Joannis partibus, quas Turcarum adminiculis ſuſtentatas oderat, adhærere voluit. Ceterum Joannes Rex virtutem Thomæ de Nádasd remuneraturus, eidem adhuc apud ſe degenti An. MDXXX. Arcem Fogaras cum adſita ditione ampliſſima per defectum Joannis Bornemiſza ad manus ſuas devolutam, ſolenni edito diplomate

dono

Quomodo ſolio redditus Joannes?

VI. Sic tum Nobiliſſima Budenſis Regia iterum in Solimanni venerat poteſtatem, non tamen Chriſtianis penitus erepta fuit: Solimannus enim, quod mirere, promiſſi memor, mox Joannem Regem arcis poſſeſſionem capere juſſit. Inde Viennam IV. idus Septembris profectus, vaſtata, qua iter habuit, regione, florentiſſimæ jam tunc urbi die XXVI. ejusdem menſis Aſiaticas circumfudit copias; verum Philippi Comitis Palatini Rheni, Nicolai Comitis a Salm militisque Hiſpani virtute ſæpius a mœnibus rejectus, deſperata demum victoria die XIV. Octobris ſolvit obſidionem, fugientique ſimilior Budam rediit. Hic cum ageret, Joannem in caſtra evocavit, mul-

dono dedit: quam donationem ſubinde Ferdinandus etiam ad ſe reverſo confirmavit. Nádasdius, quod abſens erat, Terramfogaras Stephano Mailáth Sororis ſuæ Annæ marito tradidit, cujus filius Gabriel, in quo ſtirps iſta deſiit, eandem minis adactus Bekeſſio XXX. florenorum Hungaricorum millibus venumdedit, ab hoc ad familiam Bathorianam, hac autem deficiente, ad fiſcum rediit. Vide Wolfg. Bethlen Lib. I. & V. pag. 256.

FERDINAND. I.

tisque chriſtiane prorſus cohortatus eſt, ut Paulum Vardanum Strigonienſem Archiepiſcopum, quem ipſe ſecum adduxerat, & Petrum Perénium nuper, ut diximus, captum, oblitterata defectionis ad Ferdinandum memoria, in gratiam reciperet, pulcrius eſſe dicens, injurias condonare, quam ulciſci. Id ubi a cliente, etſi difficulter, impetravit, Diadema Regium, Sceptrum, ceteraque Regni clenodia, quæ cum Petro de Perény olim in ejus poteſtatem deveniſſe diximus, in tentorium allata Joanni reſtituit, eundemque in Procerum Hungariæ, & Purpuratorum ſuorum corona Budæ, & totius Hungariæ Dominum, atque Regem die XXI. Octobris appellavit: denique propenſam ſuam ad clientis res tuendas voluntatem ſolenni diplomate roboravit A). His actis, relicto Budæ ſub Ludovici Gritti imperiis Turcarum præſidio, divite ex populationibus interea exercitis collecta præda, & LX., ut quidam volunt,

A) Diploma lege apud cit. Bethlen Lib. I. pag. 55.

lunt, captivorum millibus onuſtus iter Bizantium maturavit. Ferunt Joannem & captivorum lugubrem in modum Dei hominumque fidem inclamantium turba, & incendiis, quæ ubivis ſpargebantur, e feneſtris Budenſis Regiæ conſpectis, in amaras ſolutum fuiſſe lachrimas, quod implorato Turcarum auxilio, ſuis quidem rebus ad tempus utili, tot civium ſuorum millibus, & univerſæ Patriæ tantam conſciverit calamitatem. Ac revera graviter eapropter Joannes cum domi, tum foris vapulavit. Clemens VII. Romanus Pontifex, ne peſſimi exempli vis ad alios Principes propagaretur, urgente Ferdinando Rege, Joanni ob fœdera, clientelamque Turcicam ſacrorum communione interdixit Anno MDXXIX. nec niſi ſerius ad Ferdinandi amicitiam aſpirantem eo abſolvit vinculo. Quanquam fatendum anathema hoc nil omnino profuiſſe; niſi ut diſſidentes jam tum ab Eccleſia Hungari & Tranſilvani, Joannique Regi faventes paulo atrocius irritarentur.

FERDI-
NAND. I.

FERDI-NAND. I.

Quanta inde Reipublicæ perturbatio?

VII. Hac igitur ratione Turcarum ope repoſito in ſolium Joanne, tantum abeſt, ut tranquillitas patriæ ſit reddita A), ut potius cruentum æmulos inter Reges bellum ſit exortum. Geſtum illud fuit pluribus annis nullo pene utrinque operæ pretio, quod paribus prope viribus pugnaretur; graviſſimo nihilominus Hungariæ damno, quia innocuus tot millium hominum ſanguis incaſſum fundebatur: urbes, oppida, pagi mutuis direptionibus, & incendiis vexabantur; nemo ut vitæ, rerumque ſuarum ſecurus ageret, ac optimi quique viri, quem potiſſimum ea in perturbatione ſequerentur, ignorarent. Malo huic accedebat potentiorum quorundam perfidia, & avaritia, qui ut ſpes lucri, aut a ſceleribus impunitas ſuadebat, jam huic, jam illi adhærebant Regi, ac interea

A) Joannes ſibi regnoque redditus quo tranquillitatem una reduceret comitia An. MDXXIX. Budam indixerat, verum adeo exiguo comparuere numero, ut nil pro republica conſtitui poſſet, niſi quod Joannes Bánfi de Alsó lindva Palatini dignitate ornatus ſit. Idem pag. 58.

[redacted]

ea opimas quasque poſſeſſiones aut privatis familiis, aut ſacræ Coronæ, aut denique Divino cultui conſecratas ad ſe attrahebant, Rege utroque, ne clientes a ſe alienaret, diſſimulante. Atque hoc tempore *Epiſcopatuum* bona a profanis hominibus impune occupata ſunt A). Cui illud etiam occaſionem præbuit, quod, ſi tres demas, nulli in tota Hungaria eſſent Diœceſani Antiſtites; eis enim, quos Joannes in obnoxiis ſibi ditionibus nominaverat, Ferdinandi conſilio Pontifex confirmationem ſe impertiturum negavit; niſi aut Ferdinando adhære-

FERDI-
NAND.

A) Agriam poſt obitum Frangepani Antiſtitis Præfecturæ nomine occupatam tenebat Petrus Perénius, Joannes Szerecsen invaſit Quinque-Eccleſias; Nitriam Valentinus Tŏrŏk: Jaurinum & Sabariam ceteramque Jaurinenſem ditionem Paulus Bakics; Chanadinum Gaſpar Beruſics: Albam Juliam Franciſcus Bodo: Varadinum Emericus Cſibak: „ Quæ „ tamen, *ut narrat Iſtvanfius*, flagitia dictu factu- „ que enormia Ferdinandus rerum Regnique poti- „ tus, qua erat pietate fideque poſtea correxit, „ agendo providendoque, ut ea omnia loca ſacra- „ tis viris & ejuscemodi adminiſtrationi officioque „ ideoneis redderentur. „ Lib. XII.

FERDINAND. I.

hærere in animum inducerent, aut pax prius inter æmulos conficeretur. Denique adeo factionibus tota miſcebatur Hungaria, neuter ut Regum ſatis exploratum haberet, quinam Proceres, quæ urbes, quæ provinciæ ſibi fideles eſſent: qui prior aderat, vectigal colligebat, eidemque parebatur, mira ſane viciſſitudine a). Potior quidem Magnatum pars Ferdinando addicta fuit; multi tamen Turcarum metu, & ne poſſeſſiones ſuas, quas in æmuli ditionibus habebant, amitterent, Joannem ſequi cogebantur. Quanquam non multo poſt plurimorum ſtudia in eum refrixerant, cum Ludovicum Grittum hominem illegitimo ortum thoro, in præmium navatæ rebus ſuis olim Bizantii operæ, ſe uno inferiorem Hungariæ Gubernatorem creaſſet Anno MDXXXII. Is, ut erat arrogans, ea dignitate ad majora audenda erectus, ſubinde

a) De temporum horum iniquitate poſt ceteros lege Conradi Sperſogel Annales Scepuſienſes, quos contractos vulgavit Cl. Carolus Wagner Analectorum Scepuſii Sacri & Profani Tomo II.

FERDINAND. I.

inde per Joannis cædem ad Regiam dignitatem graſſari in animum induxerat, dediſſetque nullo negotio effectui conſilium ſane quam ſceleſtum, quod Turcis apprime carus erat; niſi crudeli quidem, ſed digna tamen flagitiis nece interiiſſet, communi enim Transſilvanorum conſenſione Megyeſſini Anno MDXXXIV. comprehenſus carnificis manu caput amiſit A). Atque ſic Emerici Cibaci cædes illius juſſu paulo ante peracta, ſevere admodum vindicata fuit. Inopinata Ludovici Gritti nece audita, & non obſcura ſuorum alienatione animadverſa Joannes, ac una Turcicæ ſocietatis toti patriæ adeo noxiæ pertæſus, Ferdinandum de

A) Graviter eam cædem tulit Joannes, adeo ut Hieronymum Laſcium ejus fuiſſe conſcium ſuſpicatus, poſita beneficii omnis memoria, carceri mancipaverit, mortique deſtinaverit; unde ille poſtea declarata ſua innocentia liber dimiſſus, Kesmarkinum (quod illi olim Joannes dono dederat) ſe recepit, proculque a negotiis aulæ vitam duxit, donec demum Ferdinando adhæſit. Ceterum Gritti cædis cauſas & modum vide apud Iſtvanfi Lib. citato Bethlen Lib. II. & in Annal. ad A.MDXXXIV.

[redacted]

FERDINAND. I.

de pace interpellavit; ſed fruſtra, quod hic æmulo nec titulos Regios, nec ullam ditionum partem vellet concedere: ſolæ itaque induciæ ad tempus modicum impetratæ ſunt, quibus de concordia agi poſſet: quæ quomodo coaluerit, paulo inferius narrabitur.

Quam im proſpere res geſtæ cum Turcis?

VIII. Interea Solimannus æmulorum diſcordiis in rem ſuam & Hungariæ perniciem egregie uſus fuit. Is enim ob tentatam licet incaſſum, a Ferdinandi Ducibus An. MDXXX. Budenſis arcis oppugnationem vehementius iratus, atque una Viennæ occupandæ deſiderio æſtuans, trecenta armatorum millia An. MDXXXII. adduxerat, rectaque per transdanubianam Hungariæ partem in Auſtriam tendebat. Verum ubi ad Ginſium longiore tempore, non ſine infamia, adhæſiſſet, atque una accepiſſet, maximum in ſe a Carolo V. Cæſare bellum apparari, florentiſſimum Chriſtianorum exercitum Viennam confluere, invicti Cæſaris fortunam veritus, omiſſa Auſtria, in Stiriam ſe infudit, multis-

que

que mortalium millibus in ſervitutem abductis domum inglorius rediit, nullo a Chriſtianis copiis affectus maleficio. Mirum certe videri poteſt, nihil a Carolo V. fuiſſe tentatum, qui cum Viennam appulit, fere centum quinquaginta armatorum millia ſub ſignis collecta reperit. Tantæ copiæ, ſi Solimanno tempeſtive fuiſſent objectæ, de victoria vix dubitari potuit; aut certe eo abeunte, in Joannem, & Turcas variis jam cum in Hungaria arcibus potentes res feliciter geri poterat. At Cæſar ſatis habens procellam ab Auſtria avertiſſe, modicis fratri Ferdinando relictis ſuppetiis, in Italiam diſceſſit A) Ejus abitu, quaſi

A) Fide digno teſtimonio edoctus ſum Carolum V. Cæſarem, ſeu quod incertæ aleæ fortunam ſuam committere nollet ſeu quod ſuorum ſanguini parcere cuperet, multis aureorum millibus Ibraimum Purpuratorum Principem corrupiſſe, induxiſſeque, ut is Solimannum variis prætextibus ab Auſtria invadenda abduceret. Ut adeo Iſtvánfius non immerito Ibraimi adverſus Chriſtianos ſtudio tribuendum eſſe aſſerat, quod a florentiſſimo Solimanni exercitu

[redacted]

FERDINAND. I.

quaſi ſigno dato florentiſſimus ille Chriſtianorum exercitus nulla re geſta clarus domum dilapſus fuit. Tota itaque belli moles ſoli Ferdinando incubuit, qui ſeu Ducum imperitia, ſeu fato quodam parum proſperos belli ſucceſſus habuit. Memorabilis inter alias fuit clades ad Garam Sclavoniæ oppidum accepta. Hic cum noſtris Mahometes Belgradi Præfectus, etſi minoribus inſtructus copiis, reditum intercepiſſet, Cazianerus Bellidux diſcrimine animadverſo, contra quam ductorem decebat, relictis hoſtique proditis copiis ſuis, cum tribunis aliquot profugit: quo viſo Turcæ, exercitum Chriſtianum Duce deſtitutum adorti, prope internecione delevere. Cazianerus ad dicendam cauſam citatus, ac ſubinde carcere fuga elapſus, cum priorem ignaviam turpiore multo ad Turcas defectione cumulare parat, a Nicolao Zrinio, quem ad idem crimen ſollicitaturus adie-

citu nil tota ejus anni expeditione præclare geſtum fuerit.

adierat, obtruncatus, meritas perfidiæ pœnas dedit A).

Queis capitibus pax æmulos inter coaluit?

IX. Geſtum tot annis inutiliter cum Joanne bellum, & acceptæ aliquoties per Turcas clades movere denique Ferdinandi animum, ut tempori cederet, ac ad pacem Joanni etiam cum aliqua ſua jactura concedendam inclinaret. Nec parum auctoritate & conſilio ſuo eo contulit Carolus V. Cæſar, cui Joannes omne ſtabiliendæ concordiæ arbitrium detulerat. Itaque delecti ex utraque parte viri, & ampliſſima inſtructi poteſtate Varadinum ſub initium anni MDXXXVIII. convenere B). Pax in hæc

A) Occiſi Cazianeri caput ad Ferdinandum transmiſit Zrinius, ampliſſimis in rei provide geſtæ præmium donatus bonis. Vide Práy Annal. Reg. ad An. MDXXXVII. & Annales Sperfogel apud Cl. Wagner Tomo II.

B) Ex parte *Ferdinandi* aderant Joannes Leodienſis Archiepiſcopus, Leonardus Velſius copiarum Dux: quibus a Ferdinando poteſtas tranſigendi tradita Viennæ die XXVIII. Octobris An. MDXXXVII. pro *Joanne* autem: F. Franciſcus de Frangepan ex Ordi-

[redacted]

FERDI-NAND. I.

hæc demum capita compoſita: Carolus V. Cæſar, & Ferdinandus Joannem Regis titulo appellent, fratrisque loco habeant; Joannes ab initis contra Auſtriacam Domum fœderibus recedat: Tranſilvaniam cum dimidia Hungaria bona fide poſſideat; at ſolummodo ad obitum usque, quo tempore ditio tota ad Ferdinandum Regem devolvatur. Si Joanni ex conjugio filius naſceretur; nullum ſive huic, ſive ejus poſteris ad Regnum jus eſto; niſi exſtincta penitus Auſtriacorum Principum familia. Filio porro a Regni ſpe excluſo, ut vitam pro dignitate traducendi media ne deeſſent, Scepuſium Ducatus titulo poſſidendum traderetur cum omni Zápolyiano patrimonio; quod ſane tum fuit ampliſſimum: huic Ferdinan-

Ordine S. Franciſci Colocenſis una & Agrienſis Antiſtes: F. Georgiûs Martinuſius Varadinenſis, Stephanus Brodericus Vacienſis, Statilius Tranſilvanienſis Epiſcopi, & Stephanus Verbôczius Cancellarius: his pariter plenæ poteſtatis mandatum a Joanne Rege Budæ die XXX. Novembris anno eodem ſignatum collatumque fuit. Vide Bethlen Lib. II. pag. 81.

dinandi filia conjux daretur; ſi citra hæredem filius aliquando exſtingueretur, patrimonium ex dimidio ad Regem rediret, de reliquo teſtari liberum ei foret. Quod ſi Joanne demortuo, vidua Regina ſuperſtes remaneret, hæc patrimonio conjugis, & dote contenta viveret, nec in Regnum jus ullum obtineret. Hæc ad Reges ipſos attinebant; cetera ad communem Reipublicæ ſalutem: Bona inteſtini belli tempore injuſte occupata ſine mora reſtituerentur: ii, qui in adminiſtratione Magiſtratuum Regni, præcipue ærarii Regii crimen admiſiſſe deprehenſi eſſent, ab alterutro Rege citari punirive poſſent. Unus toti Regno præeſſet Palatinus: ceteros Baronatus ſinguli Reges ſuis in Aulis haberent: ſi quid periculi ab hoſtibus alterutri impenderet, unitis viribus ſe tuerentur mutuo, communes & amicos, & hoſtes reputarent. Hæc & alia ab utriusque partis Oratoribus decreta Varadini die XXIV. Februarii ejusdem anni MDXXXVIII. ſunt ſignata A), minime

FERDINAND.

A) Conditiones pacis XLII. Capitibus compre-

FERDI-NAND. I.

me tamen, ut cautum erat, a Joanne Rege promulgata, Solimanni Cæſaris metu, qui eis pactis aperte petebatur. Peſſime tamen id ſilentium accepit Ferdinandus, quod mala fide Joannem agere ſibi perſuadebat, parumque aberat, quin pax operoſe confecta diſſueretur, niſi Carolus V. Cæſar, & Sigismundus Poloniæ Rex obſtitiſſent.

Quid de conjuge, & obitu Joannis?

X. Joannes affirmata ſibi per eam concordiam Regia dignitate, continuo ad nuptias applicuit animum. Lecta eſt ſponſa Iſabella Sigismundo Poloniæ Rege, & Bonna Sfortia progenita, virgo animi, corporisque dotibus inſtructiſſima. Inſcriptæ ei ſunt dotis nomine arces, & oppida centum quadraginta millibus aureorum æſtimata A); quod cum Sigismundus Rex Poloniæ

prehenſas lege apud Bethlen Lib. cit. a pag. 81. usque ad 91.

A) Tractatus Matrimonii videri poteſt ibidem. pag. 95. & apud Cl. Vagner Analectorum Scepuſii Tom. I. pag. 165.

loniæ ratum habuiſſet, Legati Hungari ſine mora Virginem Regiam in Hungariam deduxere comitatu ſplendidiſſimo. Conjuncta ſubinde eſt Joanni ex ritu Eccleſiæ Catholicæ Albæ Regiæ Dominica quinquageſimæ An. MDXXXIX. ſolitoque Reginis more coronata, præſente Gaſpare Seredi Ferdinandi Regis ad eam ſolennitatem Oratore. Hic, ut erat Regis ſui partium ſtudioſiſſimus contra, quam cautum fuit, per eam occaſionem aliquot e Joannis ſequacibus Ferdinando id neque jubenti, neque prohibenti conciliavit. Hos inter præcipuus fuit Petrus de Perény oblato ſibi Cancellarii Regni munere expugnatus, cujus exemplum mox Stephanus Mayláth Vayvoda Tranſilvaniæ ſuo cum Collega Emerico Balaſſa ſunt ſecuti. Quæ res mutuis iterum Joannem inter, & Ferdinandum diſſenſionibus anſam præbuit; ut jam alter alteri diffideret. Joannes certe, ſi a Solimanno, quem jam de pace inita edoctum eſſe conſtabat, bello appeteretur, nil ſibi in Ferdinandi auxilio ſpei ſore putans, eo ſe ab adminiſtris ſuis adduci paſ-

FERDINAND. I.

ſus fuit; ut in comitiis Tordæ in Tranſilvania An. MDXL. celebratis, inſuper habita nuperna cum Ferdinando concordia, Turcico fœderi, & amicitiæ porro etiam firmiter inhærendum eſſe A) pronunciarit. Ut autem Solimannum, quem gravius ſibi iratum noverat, placaret, Georgium Martinuſium copioſo auro, muneribusque inſtructum Bizantium deſtinavit. Has inter deſtinationes adverſa tentatus valetudine, cum pejus ſe in dies habere ſenſiſſet; Reginæ conjugi, & quia uterum gerebat, futuræ proli binos conſtituit Tutores, Petrum Petrovicſium propinguum ſuum, & Georgium Martinuſium Varadinenſem Epiſcopum, Proceribus majorem in modum commendans; ut, ſi filius naſceretur, hujus potius ad ſolium Hungaricum evehendi, quam externi ſanguinis haberent rationem

A) His iisdem in Comitiis Joannes tributum Solimanno ad biennium decrevit, at ne apud Provinciales ea propter invidiam ſibi conflaret, totum id de ſuo patrimonio ſe ſoluturum recepit. Bethlen pag. 109.

nem id quod illi poſtea contra quam Varadinenſi pace cum Ferdinando inita cautum fuerat, non ſine irreparabili Hungarici Regni ruina præſtitere. Neque diu poſtea in vivis fuit Joannes: accepto enim lætiſſimo Buda nuncio, Iſabellam felici partu filium Joannem Sigismundum VII. Julii An. MDXL. enixam fuiſſe, ſive gaudii magnitudine, ſive duorum coram tribunali ſuo cauſam dicentium odioſa contentione aucta vi morbi, die XXVII. Julii eodem anno Száſzebeſini regnare & vivere deſiit. Corpus Albam Regiam traductum conſueto Regum tumulo curante Georgio Martinuſio conditum fuit A). Erat Joannes ultimus e gente Hungara Rex, ad quam ille dignitatem ab ineunte jam ætate incredibili ſtudio aſpiravit, obtentam Turcarum ope, non ſine Hungarici Regni exitio conſerva-

FERDINAND. I.

 vit,

A) Vide Iſtvanf. Lib. XIII. & Annal. Reg. ad hunc annum. Id mirum, quod quinto poſt anno accidit: Achomates Albenſis urbis a Solimanno captæ præfectus corpus Joannis e ſepulchris Regum per ſummam ignominiam ejectum abjici juſſit. Ut narratur ibidem ad An. MDXLV.

FERDINAND. I.

vit, initiumque fecit Tranſilvanorum a S. Corona Hungarica ſeceſſioni, nec non bellis civilibus, quæ binis prope ſeculis Hungariam devaſtarunt. Si impotentem ejus ambitionem, & in rebus gerendis ſegnitiem tarditatemque excipias, non pauca illi inerant decora, ut conſtantia in Catholica Religione, & rara in ſubditos clementia.

Ab ejus obitu quæ Zápolyanorum conſilia?

XI. Exſtincto Joanne cum Patriæ ſalus, tranquillitasque perfacile reſtitui poterat, & debebat; gravius multo, & ipſa ſua diuturnitate immane exortum fuit incendium. Tutores enim pupilli Martinuſius & Petrovicſius pactorum, quibus Regnum ad Ferdinandum redire oportebat, immemores, habito cum Proceribus Zápolyanis conſilio, Joannem Sigismundum infantem Regem Hungariæ nominarunt, decreveruntque, ut in diplomatibus, publicisque literis, nec non cujusvis generis monetis utriusque, nempe filii infantis & reginæ Matris nomen apponeretur, ubi vero ille adoleviſſet, æquato cum Iſabella Matre jure Regno præeſſet;

[redacted]

FERDINAND. I.

ſet; interea vero ſumma gubernationis penes ſe, & Valentinum Tôrôkium remaneret. Quo quidem ſane quam deteſtando ſenatus conſulto non tam patriæ ſuæ comoda, quam privatas res ſuas illi curabant. *Ut* autem Regnum pupillo contra Ferdinandum conſtabilirent, miſſo Bizantium cum deſtinatis jam antea muneribus A), Stephano Verbôtzio & Joanne Eſzeki Quinque Eccleſiarum Epiſcopo, Solimannum majorem in modum orabant; ne Regis Joannis, quem ipſe potentia ſua ſolio reſtituiſſet, pupillum, viduamque Reginam ſuo deſtitueret patrocinio. Exitioſi conſilii auctor fuiſſe fertur Georgius Martinuſius, quod

A) Erant hæc ſane quam pretioſa, quæ juvat ipſis Bethlenii verbis deſcribere: Pateræ eximii operis ex auro *decem*, cælato autem argento inauratæ *centum*: ad hæc ſericeæ punicei coloris & amethiſtinæ, aureæque textili operé figuratæ more Orientalium intalares veſtes *quadraginta*, & denique *biennalis* ex tota Hungaria, quam Joannes tenuerat, & Tranſſilvania *tributi* loco *quinquaginta* millia cuſorum Hungarica nota ſignatorum aureorum. Lib. II. pag. 117.

[redacted]

FERDI-NAND. I.

quod adeo diſplicuit multis; ut continuo ad Ferdinandi partes ſe contulerint, præcipue Antiſtites A). Sic comparatis pupilli rationibus Ferdinandus diu cum ſuis, quid facto opus eſſet, deliberationem habuit: aliis bellum ſuadentibus, Hieronymus Laſcius, qui haud ita pridem Zápolyanas partes deſeruerat, auctor Ferdinando fuit, ut mitioribus modis cauſam ſuam ageret, geminasque adornaret Legationes, alteram ad Iſabellam; ad Solimannum alteram: quod cum Ferdinando placuiſſet, idem ipſe Laſcius Bizantium abire juſſus fuit Solimannum placaturus, oraturusque, ut ſineret Hungariam ad legitimum Regem devolvi; ſed hæc Legatio parum felicem habuit exitum B). Budam autem abiit Comes Salnen-

---

A) Hos inter fuere Franciſcus Frangepan Epiſcopus Agrienſis, Stephanus Ratkaj, Franciſcus Bebek, & Petrus de Perény ſecundo jam ad Ferdinandum redux, qua de cauſa Regni Cancellarius renunciatus Tatenſem & Agrienſem Arces cum latifundiis præmii loco obtinuit. Idem Lib. III. pag. 119.

A) Solimannus vehementer offenſus, quod Laſcius

menſis cum mandatis ad Reginam, ut quoniam nihil ei amplius in Regnum juris ſupererat, reſignato, quod in poteſtate habebat, diademate, Budaque reſtituta, Ducatu Scepuſienſi, ampliſſimoque demortui conjugis, patrimonio deinceps contenta viveret; nec ſe Turcarum fidei tanto cum Regni totius incommodo permitteret. At mulier Georgii, qui tum omnia jam pene ſolus regebat, hortatu ad Regnum omni ſtudio retinendum animata, aperte id, quod juſtiſſime petebatur, negavit.

Quis belli in Iſabellam ſucceſſus?

XII. Eo reſponſo commotus Ferdinandus, atque una ab Hungaris Proceribus ad bellum, priusquam Solimannus ſe moveret, concitatus, eodem adhuc Anno MDXL. Leonardum Velſium ad obſidendam Budam proficiſci juſſit Velſius multo in expugnanda Viſſegradenſi arce conſumto tempore, non niſi XX. Octobris Bu-

ſcius ad Ferdinandi partes ſeceſſiſſet, hominem in vincula conjici juſſit, vinctumque Budam usque ſecum poſtea deduxit.

[redacted]

FERDI-NAND. I.

dam inutili ſane conſilio obſidione eiruit. Cum enim arcem optime & propugnaculis, & præſidiario milite communitam ſenſiſſet, hyemis præterea rigor obſtaret; ſoluta obſidione, Alba Regia, potitus, copias reduxit. Quanquam & illud belli conſilia intercepit; quod Iſabella incerta adhuc de Solimanni in ſe voluntate, quo res ſuas ad defenſionem comparandi ſpatium nanciſceretur, miſſo Emerico Bebekio, pacis ineundæ ſpem Ferdinando fecerat, quæ tamen mox diſſipata fuit; ubi redux Bizantio nuncius receptum in fidem pupillum retuliſſet A). Turpiter ſe a fœmina deluſum dolens Ferdinandus, Rogendorfio copiarum Duci in mandatis dedit; ut Budam oppugnaret; id quod factum vere ineunte An. MDXLI. verum irrito conatu, cum ob loci firmitatem, tum inſignem præſidiarii

A) Sigismundus Poloniæ Rex, cujus opem Tutores pupilli & Regina imploraverant, id conſilii ſuggeſſerat, ut priusquam de Solimanni voluntate certiores fierent, Ferdinandum ſpe pacis laſtarent. Literas Sigismundi lege apud Bethlen Lib. II. pag. 114.

[redacted]

FERDINAND. I.

tii militis fortitudinem & conſtantiam. Obſeſſa quidem cum fuit arcis facili negotio occupandæ opportunitas, ſed quam peſſumdedit nimia Rogendorfii Ducis Hungaro cuivis diffidentis circumſpectio & turpis æmulatio. Convenerat inter Bornemiſzam (alii Athadium volunt) urbis Prætorem, & Franciſcum de Réva, ut portula prope ædem B. V. Mariæ danubium verſus ſita clam aperiretur, per quam Révajus Hungaro cum milite noctis ſilentio admiſſus; munitiora arcis loca, portasque occuparet, atque ſic inſciis hoſtibus aditum ſociis patefaceret A). Sapiens ſane conſilium, quod ſi executioni datum fuiſſet, haud dubie ea nox Iſabellam de nobiliſſimi loci poſſeſſione deturbatura erat. Révajus ne quid injuſſu Ducis tentaret, rei gerendæ ſeriem Rogendorfio exponit. Is e victoriæ magni-

A) Révajus ea fuit in Regem ſuum fide, ut Athadio, ſi verbis ſtetiſſet, ſua bona ampliſſima in Thuroczienſi Comitatu ſita per ſolennes tabulas inſcribere non dubitarit. Vide Illuſtr. Petrum de Reva Comit. Thurotz. de Monarchia & de Sacra Corona Centur. VI.

[redacted]

FERDINAND. I.

gnitudine futuram Révaii gloriam, ac apud Ferdinandum gratiam metiens, ut erat Hungarico nomini infeſtus, Révajum, copiasque Hungaricas in caſtris ſe continere juſſit, ipſe rem ſuo ingenio, & auſpiciis executurus. Itaque Condeo Ductore quaternas Germanorum cohortes ad deſignatam portulam conſtituto tempore clam præmittit, aditum tentaturas. Ut aderant, Bornemiſza quemadmodum conventum fuit, januam reſerat, Germanosque in arcem incolumes admittit; at cum hi idiomatis Hungarici ignari, neque ejus diei teſſeram militarem, neque modum occupandæ arcis edoceri poſſent, cæcoque impetu per ignotas ſibi plateas diſcurrere incipiunt, eo ſtrepitu & vociferatione excitati præſidiarii ad arma convolant, peregrinosque hoſpites adoriuntur. Germani milites iis in anguſtiis deprehenſi, contra quam fortes decebat viros, abjectis turpiter armis eadem, qua venerant via, præcipites ex arce ſemicapta ſe ſe ejiciunt, dolente, qui primos inter diſcrimini ſe ſubduxerat, Bornemiſza, Révajo tanti rem momenti unius homi-

[redacted]

FERDINAND. I.

hominis invidia corruptam fremente; imo gregariis ipſis deteſtandam Ducis æmulationem non ſine amaro ſale propalam traducentibus. Ex eo die ſiniſtre cedebant omnia Ferdinandeis: quibus memorabilis in exitu acceſſit clades. Cum enim Mahometes Belgradi Præfectus juſto cum Turcarum exercitu obſeſſis auxilio veniſſet, ac Solimannus ipſe propediem affuturus nunciaretur; quo facilior eſſet receptus, ſilente nocte, quatuor commeatibus in adverſam danubii ripam Peſtinum copias traducere conſtituit Rogendorfius. Verum prodito per transfugarum ſcelus conſilio, ea ipſa, qua tranſiri cepit, nocte, ſuccenſis repente Budenſium opera per oportuna loca diſpoſitis ſtraminis manipulis, illuſtrato danubio, terra & flumine: hinc Turcæ ſua cum claſſe, inde præſidiarii irruunt, tantamque edunt cædem; ut e florentiſſimo Ferdinandi exercitu pars potior aut ferro, aut flumine hauſta ſit, præter ingentem captivorum numerum, paucique admodum in adverſam ripam eluctati ſint. Caſtra & impedimenta omnia victoribus obtigere: Peſtum eodem

FERDINAND. I.

dem impetu captum direptumque. Rogendorfius e clade ſuperſtes adverſo danubio Comaromium devectus, non tam ex vulnere; quam dolore animi conſumtus, vitam clauſit ingloriam: qui ſi Franciſci Révaji fidei, & induſtriæ conſilium, quod ſuperius deſcripſimus, exequendum relinquiſſet, occupata principe Hungariæ Urbe ſibi immortalem ad poſteros gloriam; Regi autem ſuo utilitatem peperiſſet longe maximam.

Qua fraude Buda potitus Solimannus?

XIII. Tam inſigni de Ferdinandeis relata victoria, veluti jam optimo ſecuroque res eſſent loco, feſti dies Budæ acti ſunt. Verum eam lætitiam non multo poſt funeſtavit Solimanni adventus, & inopinatum prorſus conſilium. Is audita Budæ oppugnatione Bizantio digreſſus, citatiſſimo itinere in Hungariam contendit, atque paucis poſt Rogendorfii cladem diebus in vicinis veteris Budæ campis caſtra metatus eſt. Cæſis illic per tyrones ſuos captivis omnibus, collaudata, præmiisque exculta Mahometis, ceterorumque, qui eo bello incla-

claruerant virtute, occupandæ citra tumultum arcis Budenſis conſilia agitare cepit; quo ſe difficili ſumtuoſoque bello pupilli cauſa ſuſcipiendo in futurum expediret: quæ arx ſi in poteſtate eſſet, validoque communiretur præſidio, videbat, ſe etiam abſente, bellum utiliter geri poſſe: habebat præterea conſtitutum, Hungariam omnem, ſpecie tuendi pupilli, Ottomanico dominatui ſubjugare. Ubi de modo arcis capiendæ aliquamdiu fuiſſet deliberatum, rem hac, quam mox dicturi ſumus, ratione executus fuit. Die quodam miſſi ſunt ad Reginam non ſine muneribus Legati, qui Solimanni nomine id gratiæ loco peterent, ut Regius Infans cum Proceribus in caſtra mitteretur, quo clientis ſui, cujus cauſa tantum iter confecerat, conſpectu delectaretur potentiſſimus Imperator. Expalluit ad eam petitionem Regina, ſed a Georgio Martinuſio, ne metus indicium proderet, admonita, parituram ſe libenter Legatis reſpondit. Mittitur itaque in nutricum, & Triumvirum Comitatu Regius Infans, benevoleque a Solimanno

FERDINAND. I.

acci-

[redacted]

FERDINAND. I.

accipitur: non multo poſt ſplendidum & opiparum præter Solimanni frugaliter admodum viventis morem apponitur Proceribus convivium, ac in multam producitur noctem. Sic dum hilariter epulantur Proceres: prætoriani Turcæ ad id jam ante inſtructi, quaſi videndæ arcis cauſa, per Sabbathinam, quæ nunc Viennenſis audit, portam ſenſim nullo ordine, lentoque paſſu ingrediuntur, vicosque oberrant otioſi: alii velut jam curioſitati ſuæ ſatisfactum eſſet, ut excubias deluderent, egrediuntur: alii ſed plures ſemper arcem ſubeunt, nemine maleficium ominante. Sic dum ultro citroque commeando complures jam cohortes in arce eſſent, ſubito Sabbathinam portam ſorumque occupant, nec mora: per militum prætorianorum præfectum promulgatum, qui ſalvi eſſe vellent, arma conſignarent: paruere imperio cives, Turcæque ad decem millia per domos ſingulas diſtributi ſunt. Solimannus ubi arcem citra tumultum in poteſtatem veniſſe audiit, quanquam nox jam eſſet, Regium Principem ad Matrem remiſit incolu-

mem

nem Georgio Martinuſio, Petroviſio, Törökio Triumviris, cum Verbötzio, & Urbano de Battyán apud ſe in cuſtodia detentis.

FERDINAND. I.

XIV. Equidem haud mediocriter ea agendi ratione perculſi fuere Proceres, quod damno ſuo ſentire ceperant, improvide ſe ſpes ſuas in Turcarum fide collocaſſe. Regina pariter, quid ſe futurum eſſet, incerta trepidabat, damnabat jam priora ſua conſilia, taciteque Turcicam ſocietatem deteſtabatur. Ut ſe a mœrore collegit, miſſo libello ſupplice oravit Solimannum; ne ſe, pupillumque deſereret, promiſſæque gratiæ memor fidem ſervaret, Proceres denique, quorum conſiliis in dies opus haberet, liberos ſibi redderet. Placuit ea Reginæ ſubmiſſio Solimanno usque adeo; ut quamvis Hungariam ſibi retinere conſtitutum jam habebat, quatriduum nihilominus integrum conſultationibus ea de re habendis impendi voluerit. Purpurati in duas abiere ſententias: Ruſtanes Imperatoris gener, miti vir ingenio, Solimannum horta-

Quæ exinde Turcici Senatus conſilia?

[redacted]

FERDI-NAND. I.

batur ; ut in pupilli negotio ſuæ potius gloriæ, quam utilitati ſtuderet, Budamque cum reliqua Hungaria, ut ante per internuncium promiſerat, Reginæ, pupilloque reſtitueret. At Mahometes Jahioglis Belgradi Præfectus, homo militaris, & barbarus ; qui geſtis in Hungaria ab ipſa jam adoleſcentia bellis conſenuerat, gentisque indolem optime ſibi perſpectam eſſe affirmabat, aliud multo ſuggerebat conſilium : ajebat, minime dignos eſſe eo favore Hungaros ; tranſituros eos non multo poſt, deſerto pupillo, ad Ferdinandum Regem, armaque in protectorem ſuum converſuros ; turpe eſſe Turcorum Cæſarem alienam, eamque Chriſtianorum rem nullo ſuo commodo, imo certo cum damno curare. Si Iſabella rerum potiri permittatur, Ferdinandum non quieturum, dum eam ſolio dejiciat : aut certe neceſſe futurum ; ut in unius fæminæ plorantis & Infantis vagientis gratiam Imperator inſanum Bizantio Budam usque iter annis ſingulis relegat. Hæc itaque incommoda ut uno quaſi ictu removeret Solimannus, il-

lud

[redacted]

lud opportuniſſimum fore ſuadebat; ſi Regnum Hungariæ toties bello captum in Provinciæ formam redigeretur: Iſabella in Poloniam ad Patrem relegata, Joannes Sigismundus filius Bizantium abduceretur, Mahometano ritu educandus. Ut autem ſecurior eſſet Hungariæ poſſeſſio, necandos eſſe Proceres omnes, ac quotquot martios ſpiritus præſeferre viderentur; eorum arces ſolo æquandas, potentiores generoſioresque Hungarorum familias in Aſiam traducendas, ſolam plebem infimam colendis agris vacaturam domi relinquendam: præcipuas urbes Turcico muniendas præſidio, conſtituendum Budæ Præfectum, qui legibus Ottomanicis Rempublicam gubernaret. Hæc fere Mahometes; quibus quid atrocius, & ad delendum nomen Hungaricum accommodatius dici, cogitarive poterat?

FERDINAND. I.

§. XV. His in utramque partem diſputatis, Solimannis ita demum utilitatem Imperii ſui quærendam putavit; ut ne gloriæ, quam clementia hactenus ſibi paraverat, jactu-

Quid demum de Regina, pupillo conſtitutum?

[redacted]

[redacted]

FERDINAND. I.

jacturam pateretur. Die XIII. Calendas Septembris arcem ingreſſus, in æde Divæ Virginis Deiparæ Mahometano prius ritu initiatæ, ſacrificio perpetrato, monet Reginam, ut urbe Turcico deinceps cuſtodienda præſidio diſcederet, in Tranſilvania, & vicina Hungariæ parte cum filio ſecurius regnaturam: pollicitus autem fuit ſolemni diplomate, & jurejurando, ſe Budam, ceteramque Hungariam Joanni Sigismundo, ubi adoleverit, integre, & citra dolum reſtituturum. Proceres, retento tamen in vinculis, incertum qua de cauſa, Valentino Torokio a), liberos dimiſit, porro etiam pupilli curam geſturos. Per idem tempus Hieronymum Laſcium Ferdinandi tunc Regis Oratorem, quem vinctum Bizantio ſecum adduxerat, præter opinionem libertati reſtituit. His clementiæ, & ſeveritatis argumentis in captivos a Solimanno editis, Iſabella non ſine lachrimis,

a) Valentinus Bizantium mox abductus in carceris ſquallore animi dolore decennio poſt contabuit.

mis, & tacito gemitu Ottomanicam accuſans perfidiam neceſſitati paruit, ſplendidisque a Solimanno onuſta promiſſis, gaza omni Regia curribus impoſita, iter in Daciam cum pupillo iniit VII. Calendas Septembris An. MDXLI. A). Abiere una Georgius Martinuſius, & Petrus Petrovicſius; ſed peracerbo conſiliorum, rerumque ſuarum eventu triſtes, & futurorum expectatione ſuſpenſi. Videbant quippe, poſtquam clementiſſimi Regis Ferdinandi obedientiam excuſſerant, duriſſimum ſe Ottomanicæ gentis jugum induiſſe. Atque hunc in modum princeps illa Regni Hungarici urbs, tot Regum incolatu conſecrata Turcicam ſubiit captivitatem An. MDXLI. brevique majorem Hungariæ partem ſecum in ruinam traxit. Gemuit ſub eo jugo annis CXLV. donec non tam vi armorum, quam pietate Auſtriaca An. MDC. LXXXVI. expugnata glorioſius reſurgere, ac ad priſtinum ſplendorem redire cepit.

FERDINAND. I.

A) Iſtvanſi Hiſtor. Lib. XI. Bethlen Lib. III.

FERDINAND. I.

Quæ Turcarum in Hungaria progreſſiones?

XVI. Buda non ſine fraude potitus Solimannus, civibus, qui remanſerant, Stephanum Verbôczium A) Prætorem conſtituit. Arcem deinde, quod ab ea totius Hungariæ poſſeſſio penderet, paulo firmioribus mœnibus, & valido X. millium Janicsarorum præſidio communivit, Præfecto Solimanno gente Hungaro, ſed dudum jam ante deſerta Chriſti fide ad Mahometis ſuperſtitiones transgreſſo: cui bellum ſumma cum poteſtate per Hungariam adminiſtrandum commiſit; Budam vero ad ultimam ſanguinis guttam tuendam commendavit. Sic rebus Budæ per dies viginti circiter ſapienter diſpoſitis, negataque ſuperbe Ferdinando petenti pace B), Bizan-

A) Verbôtzius & ætatis vitio, & animi dolore anno inſequente conſumptus fuit, Catholicæ Religionis ad ultimum usque retinentiſſimus. Fertur ante obitum amaris lachrimis deploraſſe, damnaſſeque conſilia ſua, quibus immodico Zápolyianarum partium ſtudio Patriam in exitium præcipitaverat.

B) Petierat hanc Ferdinandus miſſo Budam Nicolao Salmenſi Comite: At Solimannus rerum ſuæ-

tium rediit. Senſit paulo poſt Hungaria omnis novorum hoſpitum atrocitatem, triſtiſſimosque amiſſæ Budæ fructus. Tentavat quidem Joachimus Brandeburgicus eodem adhuc anno Budam obſidere; ſed conatu plane inutili. Rediit rurſum Solimannus An. MDXLIII. in Hungariam: Valponem, Quinque-Eccleſias, Sziklosinum; quod peſſime communita eſſent, facile in poteſtatem redegit. Strigonium poſt trium hebdomadarum oppugnationem deditione accepit, præſidiariis contra datam fidem peſſime, crudeliterque mulctatis. Albam vi

FERDINAND. I.

ſuarum ſucceſſibus elatus, nullam ejus ſpem fore dixit, niſi omni Hungaria ſponte decedere, atque annuum ab Auſtria tributum pendere in animum induceret. Poſt diuturnas denique diſceptationes mitior redditus Solimannus. Anno demum, MDXLVII. quinquennales Ferdinando conceſſit inducias his legibus: Turcæ quæ ad eum diem occupaverant, bona fide poſſiderent; ad ſarciendas autem belli diuturni impenſas Ferdinandus Solimanno annua XXX. aureorum millia muneris nomine mitteret. Iisdem induciis & Veneta reſpublica comprehenderetur. Annales Reg. Hung. ad an. cit.

[redacted]

[redacted]

FERDINAND. I.

vi admota perculſam ad deditionem coegit. Præſidiariis ſervata fides: primores & Senatores urbis, quia veteris dignitatis ſplendoriſve ſui memores generoſiores ſpiritus alere videbantur, ad unum omnes necati: Iſto haud ſcio, an non crudelius illud; quod Achometes urbi a Solimanno præfectus veneranda Regum ſepulchra ſacrilege violata avare diripuerit A). Inſequentibus poſtea annis continuato bello, Turcæ in Hungaria commorantes plurimas civitates, & arces, ut: Viſſegradum, Neogradum, Lippam, Temeſiam &c. dominio ſuo ſubjugarunt. Ad has urbium direptiones ſub Ferdinando, ſucceſſoribusque Regibus factas, acceſſit intoleranda Tartarorum populandi libido, a quorum ferro, & igne nihil

A) Erant autem in iis monumentis: Regum inſignia, coronæ, ſceptra, globi, ſive ſpheræ ex auro, & argento, aurei torques, annuli gemis diſtincti, aliaque plurima pretii longe maximi. Solimannus criminis magnitudine commotus ſacrilegum furem præfectura dejectum perpetua ignominia notavit. Ibidem ad An. MDXLV. Bethlen Lib. III. pag. 143.

hil jam ſive in Hungaria, ſive in Moravia ſuit eximium, per quos multa centena mortalium utriusque ſexus millia aut necata, aut in Ottomanicam ſunt abducta ſervitutem. Sic creſcente in dies Turcarum dominatu vix quidquam ſuit Ferdinando, & ſucceſſoribus reliquum, præter vicinam Auſtriacis terris ditionem trans & cis Danubianam, ſuperioris Hungariæ urbes, ac præterea modicam Illyrici portionem: pleraque enim Dalmatiæ adhuc reſiduæ loca partim Venetis ſe conjunxerant, partim Ottomannis in prædam ceſſere: Neque id mirum cuiquam videri debet: Hungaris enim per Turcas ubique circumſcriptis non erat fuere vires; ut potentiſſimo reſiſterent hoſti: a Tranſilvanis Turcarum clientelæ obnoxiis nihil auxilii ſperari poterat: Chriſtiani Principes diſſidiis religionis occupati parum vicinæ Hungariæ calamitate commovebantur, avareque admodum ſuppetias Regibus noſtris ſubmittebant, aut certe tum, cum maxime opus erat, denegabant. FERDINAND. I.

[redacted]

FERDINAND. I.

Quæ occaſio uniendæ iterum Tranſilvaniæ?

XVII. Hæc inter Iſabella Regina, ut paulo prius narratum, in Tranſilvaniam relegata, pulcherrima ea Regio a S. Coronæ juribus avulſa fuit. Id quod Ferdinando, & Procerum Hungarorum plerisque doluit magnopere. Verebantur quippe, nec immerito, ne Turcæ ſubjugata prius Hungaria, inſuper habitis promiſſis omnibus ad opportunum illud rebus ſuis in Europa conſtabiliendis Regnum oppugnandum adjicerent animum: alioquin palam fuit, Solimannum non tam pupilli, quam ſua cauſa bellum in Ferdinandum gerere. Illud etiam non leviter multos perculerat; quod Turcæ Hungariæ Præfecti, quoscunque generoſioris, & excelſioris animi Hungaros, Patriæque ſtudioſos noverant, aut necarint crudeliter, aut in Aſiam traduxerint, ne de excutiendo Turcico jugo aliquando cogitarent. Hæc fere fuerunt cauſæ, quod multi, qui Iſabellæ partes ad id tempus ſectati ſunt, Turcicæ fidei diffiſi vias, modosque ſcrutarentur, quibus ſe, patriamque tanto eriperent diſcrimini. Talis erat Georgius Martinuſius Varadinenſis

Anti-

[redacted]

FERDINAND. I.

Antiſtes, alter pupilli Tutor, idemque pene ſolus Reipublicæ moderator: qui ut errorem, quem Turcas in auxilium evocando admiſerat, aliqua ratione corrigeret, altero mox ab amiſſa Buda anno, Tranſilvaniam ſacræ Coronæ reſtituere cogitabat. Non leve momentum ad id Conſilium exequendum attulit Albertus Peregus, quem Ferdinandus An. MDXLVIII. in Tranſilvaniam ablegarat, ut Melchiorem Balaſſam, qui judicium in Hungaria declinaturus, ad Tranſilvanos ſe receperat, ſuis manibus tradi ex pacto poſtularet; per eam enim opportunitatem, Peregus ad Martinuſii familiaritatem admiſſus, auctor fuit homini, ut cum tota Tranſilvania ad Ferdinandi partes tranſiret, ſicque Regni Hungarici ſaluti ſecuritatique conſuleret. Ad quæ cum Georgius Martinuſius propenſam voluntatem oſtendiſſet, Peregus Viennam redux Ferdinandum incredibili lætitia, & ſpe recuperandæ Tranſilvaniæ complevit. Cupide itaque eam rem arripuit Ferdinandus, quoque Georgium in propoſito confirmaret, miſſis rurſum anno inſequente

Nico-

[redacted] FERDINAND. I.

Nicolao Comite a Salm & Sigiſmundo B. Herberſteinio legatis, vacantem tum per Pauli Vardani obitum Strigonienſem Eccleſiam, & Galeri Cardinalitii honorem eidem obtulit. Sed enim negotium multis ob Reginæ levitatem implexum fuit difficultatibus, nec niſi multo ſerius terminari potuit. Georgius hæc inter in conciliandis propoſito ſuo Tranſilvaniæ Proceribus ſtrenue, caute tamen deſudabat: tempeſtive deinde admonuit Ferdinandum, ut Germanicas, Hungaricasque copias ad Tranſilvaniæ limites deſtinaret, quibus, cum ultima Tragœdiæ ab ſe adornandæ ſcena agenda erat, commode uti poſſet. Paruit conſilio Ferdinandus, juſtumque exercitum Caſtaldo Duce in limitibus Hungariæ collocavit, Georgio, cum vellet, præſto futurum. Conſilii tanti, etſi clam agebatur, fama ad Tranſilvanicam delata Aulam, Iſabella vehementius commota fuit, miſſoque Bizantium nuncio, hominem atris apud Solimannum depingi juſſit coloribus: domi autem interea vias omnes rimabatur, quibus eum Cameræ Præfecti magiſtratu deje-

dejectum theſauris Regiis ſpoliaret. At Georgius ut erat expedito in arduis rebus ingenio, veteranis, quas ex ærario publico alebat, legionibus nova Siculorum ſupplementa ſtipendio auctorat; egregieque ſemet ad defenſionem comparat, nihil ut in eum Regina armis tentare auderet. Copiis ita communitus nihil jam occultandum rebatur. Igitur indictis Maros-Vásár-helyinum Comitiis, commemoratis Turcarum fraudibus, & quæ ex eorum ſocietate evenire neceſſe fuit calamitatibus, pleroſque Procerum Turcicæ clientelæ faſtidio, Ferdinandique deſiderio complet. Ea ordinum voluntate comperta, Iſabella, quod ære, militeque deſtituta eſſet; ne res ſuas penitus affligeret, in gratiam cum Georgio redire vel invita coacta fuit. Neque enim in Turcarum armis quidquam ei tum quidem præſidii fuit, poſtquam Budenſem præfectum Solimanni juſſu ſua cauſa in Tranſilvaniam properantem a Georgii exercitu magna cum clade fuſum, fugatumque accepit: Georgius autem poſt eam victoriam omni jam metu ſolutus ſub exitum anni

MDL.

[redacted]

FERDI-NAND. I.

MDL. cum Ferdinandi Legatis de Tranſilvaniæ reſtituendæ modo palam paciſci cepit.

Quibus id pactis effe-ctum?

XVIII. Sic comparatis apud Tranſilvanos rebus, Regina ipſa, ſeu ſponte, ſeu Georgii metu flagitante, adſunt A. MDLI. miſſi a Ferdinando Legati Thomas de Nádasd, perpetuus terræ Fogaras, Judex Curiæ, Andreas de Báthor Generalis Hungariæ Capitaneus, & Sigismundus L. B. ab Herberſtein de pace cum Regina transacturi A). Verum parum aberat, quin negotium id penitus abrumperetur, quod Petrovicſius ultra modum Turcicæ addictus clientelæ, Reginam in transverſum egerat adeo, ut illa Georgium in comitiis Enyedienſibus hoſtem Reipublicæ pronunciari procurarit. Periculum tamen illud brevi diſſipatum fuit: poſtquam Georgius Albam Juliam, ubi omnis Gaza Regia aſſervabatur, acerrima cinxit obſidione, ac eodem

A) Data eis ſcripto a Ferdinando mandata lege apud Práy ad hunc annum.

[redacted]

FERDINAND. I.

eodem prope tempore Caſtaldus cum exercitu in Tranſilvaniam irrupit. Tanto duorum exercituum apparatu perculſa Iſabella, ſine cunctatione totam iterum ſe Georgii arbitrio permiſit. Ea renunciata, Caſtaldus cum Nádasdio, Bathorio, & Herberſteinio ad ſalutandam Ferdinandi nomine Iſabellam Szaſſebeſinum abiere. Poſt peracta ſalutationum officia mox pacis ineundæ capita Reginæ explicata ſunt; hæc autem fuere: Iſabella ſacrum gentis Hungaricæ Diadema Legatorum manibus conſignaret: arces omnes Ferdinandi militibus traderet; ac e Tranſilvania demigraret in Oppolienſem Ducatum, quem ad ſarciendam opulentiſſimæ Regionis jacturam cum omni patrimonio Zápolyiano Ferdinandus viduæ offerebat. Adhæc obligabat iſte ſe, ad numeranda Reginæ centum aureorum millia, & dandam pupillo, ubi adoleverit ſponſam, filiam ſuam Joannam. Quæ omnia cum Iſabella poſt tridui deliberationem rata habuiſſet, Claudiopolim, quo Comitia indicta fuere, itum eſt

A):

[redacted]

FERDINAND. I. a): ubi peractis in principe Divi Michaelis æde ſacra miſſarum ſolemniis, data, & accepta utrinque jurata fide, Regium Diadema cum ceteris clenodiis, quæ durantibus divinis officiis in altari collocata proſtabant, Nádasdii, & Bathorii manibus conſignatum fuit: nuptialia vero pacta in Abbatia Colos Monoſtorienſi rite ſignata ſunt. Atque hoc tempore enixe flagitaſſe ferunt Iſabellam, ut Joannem Sigismundum filium, futurum olim ſuum generum, Ferdinandus in aulam ſuam traductum educandum ſuſciperet: quod conſilium firmandis rebus Auſtriacis fortaſſe opportunum; Religioni autem Catholicæ longe utiliſſimum fuiſſet; verum Ferdinandus incertum, quibus ex cauſis, id conſtanter recuſa-

a) Bethlen Lib. IV. pag. 167. refert, dum Regina Claudiopolim iter haberet, repente Felvinezini in domo Pauli Székely prope Molam ab Hiſpanis militibus obſeſſam fuiſſe, coactamque Inſignia regalia Ferdinandi Legatorum manibus conſignare; verebantur hi nempe, ne, ut erat inconſtantis animi mulier, ex itineris occaſione fraudem aliquam comminiſceretur.

FERDINAND. I.

cuſavit. Confecta pace, Iſabella cum pupillo Caſſoviam primum, tum numerata ſibi-promiſſa pecunia, in Poloniam indignabunda receſſit. Unde ſubinde Oppoliam ſe contulit; at cum redditus annui vix duodecies mille florenos Hungaricos æquarent, ad hæc ædes vetuſtate collapſæ non niſi maximo ſumtu reparari poſſe viderentur, in Poloniam iterum reverſa partim Varſaviæ, partim Cracoviæ ſedem fixit, cui, ut proReginæ dignitate vivere poſſet, Sigismundus Poloniæ Rex frater, & Bonna Regina Mater Panocium, Crepicium, & Vielunum adjecere. At enim inquies mulier tranquillam vitam faſtidiens in omnes recuperandæ Tranſilvaniæ vias excubabat. Ferdinandus autem ut Georgio Martinuſio gratiam referret, Tranſilvaniæ præfecturam ſumma illi cum poteſtate permiſit; Caſtaldo rem militarem procurare juſſo. Quo autem contra Turcarum impetum limites communiret, Temesvarinum Stephano de Loſſontz, Karanſebeſſum Georgio Seredi, Lugoſſinum Aldanæ Hiſpano, Lippam Andreæ Bathori de Somlyo validis cum præſi-

[redacted]

FERDINAND. I.

diis tuenda commiſit. Res tanti momenti feliciter confecta incredibili lætitia cum Hungaros, tum vel maxime Ferdinandum complevit: non modo ob novas virium, reddita Tranſilvania, acceſſiones; verum etiam ſacri diadematis pluribus jam annis exulantis reſtitutionem a).

Quæ cædis Georgii occaſio?

XIX. Verum nec Ferdinando diuturna fuit Tranſilvaniæ poſſeſſio; nec Georgio fauſtus magiſtratus. Solimannus de pacis Ferdinandum inter, & Iſabellam initæ capitibus a Petrovicſio edoctus, irarum in Georgium pacis auctorem plenus, Budenſi, & Belgradenſi Præfectis dat in mandatis, ut collectis quam poſſent maximis copiis ſine mora in Tranſilvaniam properarent. Eo apparatu comperto, Caſtaldus exterum militem univerſum in Hungariæ limitibus hibernantem ad ſe in Tranſilvaniam attrahit, novaque Provincialibus ſup-ple-

a) Reſtitutum ſibi Diadema publicis litteris teſtatus eſt Ferdinandus Poſonii XXV. Martii Anno MDLII. in Annal. ad hunc annum.

[redacted]

FERDI-NAND. I.

plementa imperat. Georgius dudum jam offenſus, quod Caſtaldus ſe inconſulto res Tranſilvanas moderari, tributa deſcribere aliaque ſumma cum poteſtate agere tentarit, arrepta hac occaſione, contraria ad Provinciales mandata dedit, quibus vetabat quemquam injuſſu ſuo arma capere; quod ſibi, non Caſtaldo res publica eſſet credita. Ut autem palam fieret id non proditione, ſed auctoritatis retinendæ ſtudio fieri, Georgius paulo ſerius novos militum delectus ipſe imperavit, opinioneque majores copias ſub ſigna contraxit. Cum juſtus appareret exercitus, utiliterque aliquid tentari poſſe videretur, ad oppugnandam Lippam in limitibus Tranſilvaniæ ſitam, quam mox poſt initam pacem Mehemetes Beglerbegus deditione acceperat, itum fuit, cæptaque communibus ſtudiis viribusque oppugnato die IV. Novembris An. MDLI. Suprema hæc erat Georgii expeditio; eodem enim tempore veteribus cum Caſtaldo ſimultatibus novum affuſum eſt oleum. Urbe a Chriſtianis vi capta, Turcæ in arcem ſe receperant, ubi

FERDINAND. I.

cum aliquamdiu obſidionem toleraſſent, annona omni deſtituti, de facienda honeſtis conditionibus deditione noſtros interpellant: Caſtaldus Ducesque cæteri negandam Turcis libertatem, omnesque in captivitatem redigendos cenſuere. At Georgius de graviſſimis Solimanni adverſum ſe odiis certus, quo offenſum hominem aliqua in Turcas clementiæ ſignificatione placaret; benignius, quam Caſtaldus, cum victis agendum putavit, inſuperque habitis reliquorum Ducum ſententiis, præſidiarios in fidem benevole receptos libere arce egredi, domumque additis cuſtodiæ cauſa e ſuorum numero aliquot cohortibus abire permiſit. Ea Georgii in Turcas benevolentia graviſſimis Caſtaldum complevit ſuſpicionibus, præcipue quod compererat eum aliquoties clam cum Ulamene loci præfecto familiariter fuiſſe collocutum. Suſpiciones hæ non mediocriter auctæ ſunt, poſtquam Georgius acriter obſtabat, quo minus Caſtaldus militem exterum in Tranſilvania per hyberna diſtribueret. Ex his aliisque certo ſibi Caſtaldus perſuaſerat, id

agere

[redacted]

FERDINAND. I.

agere Georgium, ut ejectis e Tranſilvania Ferdinandi 'copiis', Solimanni ope ad tyrannidem graſſaretur. Itaque per litteras, & nuncios eum Ferdinando ſuſpectum reddere non deſtitit: dum denique id a Cæſare demum reſponſi accepit: illud ageret, quod a Republica fore videretur. Nec mora: necem homini decrevit; cujus hæc fuit opportunitas: occupata, ut mox narravimus, Lippa, cum in Tranſilvaniam regrediuntur Caſtaldus & Georgius, paucis ante diebus accepto de Romana] purpura nuncio lætiſſimus, Alvincii loco haud procul Alba Julia remoto noctem acturi ſubſiſtunt. Hic Georgius in arce ſua Caſtaldum hoſpitio accepit, honoriſque cauſa nobiliorem ædium partem æmulo aſſignavit. Exacta tranquille nocte, ſub auroram Marcus Antonius cædis miniſter, Georgii tum precantis conclave ſubit, commendatitiasque Caſtaldi ad Ferdinandum literas exhibet, majorem in modum obteſtans, ut ſibi favere, Caſtaldique commendationi ſuo pariter calculo pondus addere ne dedignaretur, Georgius nil doli metuens, arre-

pta ſine mora penna, animum, oculos manusque ad ſcribendum intendit; cum ecce Marcus Antonius educta, quam ſub veſte occultam gerebat, ſica geminam nil tale opinanti plagam infligit; alteram in jugulo: in ſummo pectore alteram: mox ſtrepitu exciti adſunt ſocii multisque vulneribus humi proſtratum trucidant: neque Georgii Ephebo puero parcitum. Cædes hæc peracta fuit die XVII. Decembris An. MDLI. occiſi Georgii theſauros prorſus Regios, auri argentive cuſi & incuſi vim incredibilem Caſtaldus ſine mora occupavit, atque partim in ſuos uſus, partim in militum ſtipendia diviſit, præter id, quod privatim quisque diripuerat. Illud a plerisque vitio datum Caſtaldo quod Georgii interempti corpus ſuo innatans ſanguini eodem in conclavi reliquerit, neque tumuli honore dignatus ſit. Quapropter ſeptuaginta ipſos dies inſepultum, ſanieque jam manens cadaver Albenſes demum Canonici in æde D. Michaelis condidere. Atque hic fuit Georgii Monachi exitus varie, ut quisque in eum animo compara-

tus

[redacted]

FERDI-NAND. I.

tus erat, acceptus A). Certe graviſſimam ea propter apud multos ſibi conflaverat invidiam Ferdinandus, quod tanti viri ſortem, cujus beneficio Tranſilvaniam recuperaverat, quem ipſe Strigonienſi Eccleſiæ deſtinarat, & a Julio II. Pontifice in Cardinalium numerum cooptari impetraverat, Caſtaldi æmuli arbitrio reliquerit. Sed eam invidiam utcunque poſtea diſſipavit Ferdinandus, vulgatis litteris, per quas, commemoratis proditionis argumentis, jure cæſum pronunciavit B). Ut ut res ſe habeat, excuſandus ſane eſt Ferdinandus: habent enim ii, qui præſunt, ut quoniam ipſi per ſe ſingula cognoſcere nequeunt,

 aliis,

A) Cædis modum lege apud Iſtvanfium, qui illius adminiſtros omnes violento mortis genere ſeſius ſublatos meminit Hiſtor. Lib. XVII. Bethlen Lib. IV. ubi Georgii Theſauros ſingilatim deſcriptos leges pag. 174.

B) Litteras Pragæ VIII. Januarii An. MDLII. ea de re vulgatas lege in Annal. Reg. Hung. ad hunc annum: alias item immediate poſt cædem datas die XXIX. Decembris ejusdem anni apud Bethlen loc. cit.

[redacted]

FERDINAND. I.

aliis, maxime ubi periculum in mora eſt, fidem habere cogantur: nam ut omnia credere, errori eſt proximum; ita incredulum plane eſſe non vacat periculo. Fuit Georgius ingenio, prudentia, agendique dexteritate ſummis ævo ſuo viris comparandus A). Fuit ad aras Sacerdos pius; in caſtris ſtrenuus Dux, & miles intrepidus; in aula ſagax, & indefeſſus adminiſter: quæ tria ita copulaſſe fertur; ut ſingulorum officii partes quam cumulatiſſime expleverit. Sed has ejus aliasque laudes ſpeſſima illa, Turcarum ope Regnum pupillo conſtabiliendi, conſilia obſcuravere: ex quibus omnis poſtea, quaſi rupto aggere, profluxit calamitas.

XX.

A) Ferdinandus tanti Georgium faciebat; ut ſæpe dicere non dubitarit: „ Nihil ſe prorſus invi„ dere Joanni Regi, quam unum cucullatum, qui „ galeatis decem millibus tuendo regno potior ha„ beretur. „ Joannes pariter crebro fatebatur: ſe ejus præcipue viri induſtria regnare. Vide Jovium Hiſt. ſui temp. Lib. XXXIX.

Cur revocata in Tranſilvaniam Iſabella?

XX. Georgio hunc in modum e vivis exturbato, Ferdinandus eo curas omnes intendit; ut Tranſilvaniam, quam clementiſſime regeret, ſicque eam ſibi, & ſucceſſoribus arctius adſtringeret. Itaque inſtaurata vetere Wayvodarum dignitate, Andream Báthori de Somlyo hoc nomine Provinciæ An. MDLII. præfecit, ſapientiſſimisque inſtruxit præceptionibus A): ex quibus pius & æquus Ferdinandi in Regno animus luculente patet. Addidit huic Caſtaldum cum Hungaro, Germano, Hiſpanoque milite, Reglis ſtipendiis, ne Provincialibus moleſtus eſſet, victuro. Báthorio ſubinde ob ſiniſtram valetudinem magiſtratu decedenti, bini Wayvodæ Stephanus Dobó de Ruſzka, & Franciſcus Kendy de Szentivány ſunt ſuffecti. His Wayvodis quadriennio Tranſilvaniam poſſedit Ferdinandus: quo expleto, ea fuit temporum iniquitas; ut ſponte ea decede-

A) Has lege apud Práy in Annal. Reg. Hung. ad hunc annum. Diploma collationis Wayvodatus edidit Bethlen Lib. IV. pag. 181.

FERDINAND. I.

re cogeretur. Occaſionem malo præbuit Caſtaldus a crudeli notatus avaritia: is contempta Wayvodarum auctoritate, Provinciam ſuperiore bello; fame dein, ac peſte divexatam immoderatis, quanquam ad ſtipendiarium militem alendum neceſſariis, exactionibus ad incitas redigebat: accedebat huic intoleranda militi, & impune quidem, conceſſa licentia, qui contra quam Ferdinandus aperte caverat, ſtipendio ſuo non contentus, propalam rapinas exercere, virgines, matronasque fœdare, omni denique injuriarum genere incolas hoſtium inſtar affligere non intermittebat A). His cum multos provincialium alienatos cerneret Petrovicſius alter pupilli Tutor, omnem pro Iſabella revocanda Bizantii movebat lapidem. Arripuit perlibenter eam res ſuas augendi opportunitatem Solimannus, Ferdinandoque pacem tum forte petenti renunciari juſſit, eam; niſi

A) Confer hoc cum iis, quæ in Comitiis Poſonienſibus de milite conſtituta ſunt An. MDLIX. in Codice Juris Patrii. Iſtvanf. Lib. XVII. & ſequ.

FERDI-NAND. I.

niſi Tranſilvania pupillo reſtitutá, confici non poſſe. Crebros adhæc in Tranſilvaniam mittebat nuncios, bellumque atrox popularibus comminatus fuit, niſi pupillum, cui ipſe clientelæ nomine Provinciam donaſſet, revocarent. Talibus minis exterriti Tranſilvani, oratores ad Ferdinandum miſere, qui peterent, ut vel auxilia, quibus contra Solimannum tuti eſſent, tempeſtive mitteret, vel ſi id non poſſet, fidei Sacramento ordines Regni abſolveret. Ferdinandus æquis eorum poſtulatis libenter ſubſcripſit, continuoque ad Duces ſuos mandata dedit, ut quam maximis poſſent copiis in Tranſilvaniam properarent; at cum illi ſegnius, quam periculi magnitudo poſceret, imperata faciunt, Petrovicſius juſto cum exercitu in Provinciam irrumpit, armorumque terrore præcipuos quosque ad Iſabellæ partes traducit. Miſſi igitur extemplo in Poloniam Legati, qui Reginam Leopoli ſeu Lembergæ in Gallicia tum degentem cum pupillo filio in Provinciam reducerent,

a):

[redacted]

FERDINAND. I.

a) : quæ nil cunctata ſine mora in Daciam revolavit, atque die XXII. Octobris Anno MDLVI. iterum Regni poſſeſſionem adiit. Quid ageret æquiſſimus, Rex Ferdinandus, difficillimo hoc rerum ſuarum poſitu? Nec vires ad recuperandam Provinciam aderant : nec ſi adſuiſſent, irritandus videbatur Solimannus, qui Tranſilvaniam Hungariæ conjungi paſſurus nunquam erat. Itaque tempori cedendum ratus : Ordines fidei Sacramento abſolvit, atque reſignatis Iſabellæ arcibus, militem ſuum tota Tranſilvania juſſit excedere.

Quomodo vitam clauſit?

XXI. Iſabella iterum regimen adepta haud ita tranquille Rempublicam adminiſtravit. Continuis enim de perdendo Regno agitata timoribus, ac nemini fidens, ad ſanguinariam crudelitatem gradum fecit, ut complures illuſtres viros, ſibique fidiſſi-

---

a) Legationis princeps fuit Franciſcus Kendi cum Solimanni Oratore, a quibus quid actum? refert Bethlen Lib. IV. pag. 202.

[redacted]

fidiſſimos e ſola ſuſpicione immiſſis ſicariis clam necari curarit. Hos inter ipſum etiam Petrum Petrovicſium pupilli tutorem, & propinguum, cujus unius curis ad Regnum revocata fuit, neci deſtinavit, quam tamen ille crudelis conſilii ignarus naturali morte ſublatus prævertit, Regina & pupillo, theſauri ſui ſane quam locupletiſſimi hæredibus inſtitutis. Cum itaque omnes omnino ſuſpectos haberet Iſabella, trepidaretque ſemper, ad extremum miſſo clam nuncio de pace cum Ferdinando, reddendaque Tranſilvania agere cepit, cui negotio demum immortua eſt XV. Septembris An. MDLX. Albæ Juliæ ad D. Michaelis condita A), Ambitioſa ſane mulier, ad cujus infamiam vel illud ſufficit, quod materno abrepta amore non modo filium Joannem Sigismundum nullis virtutum, litterarumque ornamentis excoli procurarit; verum etiam a Blandrata medi- FERDINAND. I.

co,

A) Quam præpoſtere poſt reditum e Polonia quadriennio toto rempublicam adminiſtrarit Iſabella; deſcribit Bethlenius Lib. IV.

FERDINAND. I.

co, impiis Socini erroribus innutiri prudens volensque permiſerit, atque ſic nec temporariam, cui perdite, & unice ſtudebat, felicitatem, nec æternæ ſpem filio reliquerit. Ac cum Joanne quidem Duce, ab obitu Iſabellæ Matris, rerum in Tranſilvania potito perpetuæ fuere Ferdinando lites, quod ille titulum Regis Hungariæ, latiſſime diffuſam ad tibiſcum Regionem, ac inſuper Oppolienſem, & Ratiborienſem Sileſiæ Ducatus ſibi concedi poſtularet; quæ poſtulata Ferdinandus rejicienda putavit, idque eo liberius; quod ſub idem tempus An. MDLXII. pacem denique toties cupitam a Solimanno impetrarit A). Turpis quidem illa fuit ob annuum XXX. millium aureorum tributum Tur-

A) Hac pace etiam Joannem Sigismundum Tranſilvaniæ Ducem comprehendi voluit Solimannus. Signavit autem Tabulas Bizantii Calendis Septembris Ann. MDLXII. quas poſtea Ferdinandus Francofurti, ubi tunc Maximilianum filium imperii corona augeri procuravit, ratas habuit. Iſtvanſ. Hiſtor. Lib. XXI. Práy in Annal. ad hunc annum.

[redacted]

Turcarum Imperatori ab Hungaro Rege pendendum; ſed tamen ad ultimum a patria excidium prohibendum neceſſaria videbatur Ferdinando, quod infelici ſemper ſucceſſu bello uteretur.

FERDINAND. I.

Quæ ſuprema Ferdinandi ſtudia?

XXII. Servata per eam pacem ab interitu Hungaria redditaque tranquillitate, unum in votis erat optimo Principi Ferdinando, ut Primogenitum Maximilianum Hungarico diademate ſe adhuc vivente inſignitum, de Hungarici Regni poſſeſſione ſecurum cerneret: hunc in finem, dum interea Bizantii de memorata ſuperius pace agebatur, præcipuos Regni Barones Anno MDLXII. Viennam evocatos ad inaugurandum Maximilianum hortabatur. At enim ejus votis interceſſit Palatinus Nádasdius. Negabat ille electionem & inaugurationem Regis a ſola Regni Baronum auctoritate pendere, generalibus Regni comitiis, omniumque Ordinum aſſenſu ad id opus eſſe. Addebat inſuper, quamvis pactorum Anno MCCCCXCI. inter Uladislaum II. Regem & Maximilianum I. Cæſarem

FERDINAND. I.

ſarem initorum vi, Ferdinandi poſteris jus ad Coronam liquidum eſſe non inficiaretur, relictam nihilominus genti Hungaricæ libertatem, ex eadem ſtirpe eum deligendi, qui ſceptro idoneus præ aliis videretur nulla habita primogeniti ratione. Hæc eo ſpectabant, ut Ferdinando Archiduci natu minori Regis filio egregio ſane, & bellieoſo Principi, ſibique amicitia conjuncto viam ad ſolium præ Maximiliano præpararet Nadasdius. Quod cum Regi Ferdinando, qui Provincias omnes ab uno eodemque primogenito gubernari cupiebat, vehementer diſplicuiſſet, totum illud negotium tum quidem adhæſit. Defuncto vero non multo poſt Palatino A) eidemque mox Locumtenen-

A) Obiit Thomas Nadasdius IV. nonas Junii An. MDLXII. ætatis Anno LXIII. Vir ab ingenio, eruditione, & in Ferdinandum Regem fide ſpectatiſſimus, a cujus obitu dignitas Palatini Comitis vacare cepit, in ejus locum introducti Locumtenentes Regii, quos partim e Clero; partim e ſecularibus Rex arbitrio ſuo legere conſuevit. Deſiere porro Locumtenentes An. MDCVIII. quo Stephanus Illesházy Palatinus electus fuit.

[redacted]

tenentis Regii nomine ſuffecto Nicolao Olaho Archiepiſcopo Strigonienſis, anno inſequente Ordines Regni ad diem D. Stephano Primo Regi ſacrum iterum Poſonium ad Comitia evocavit. Neque tum quidem principio res ſucceſſum habitura videbatur, quod multi e primoribus eſſent, qui incredibili ſtudio in Archiducem Ferdinandum inclinarent. At Nicolai Olahi Locumtenentis Regii, Strigonienſis Archiepiſcopi doctrina, & virtute ſpectatiſſimi ſermonibus, & auctoritate effectum denique; ut piiſſimi Regis votis ſubſcriberetur. Itaque idibus Septembris eodem anno MDLXIII. magno Parentis Ferdinandi gaudio, bonorumque omnium gratulatione in æde D. Martini ab Olaho Strigonienſi diademate inſignitus eſt Maximilianus. Inde ad Eccleſiam PP. Franciſcanorum progreſſus creatis, ut moris erat, auratis Equitibus, in ſuburbana conceſſit. Hic in præparato ad id ſuggeſtu poſtquam conſuetum Ordinibus ſacramentum nuncupaſſet, danubium verſus equo vectus, tumulum ad Albenſis collis ſimilitudinem artefactum con-

FERDI-
NAND. I.

FERDINAND. I. conſcendit, gladiumque in quatuor mundi plagas vibravit A). Primus igitur Maximilianus, quod Buda & Alba Regia in Turcarum eſſent manibus, Poſonii coronatus eſt, quem locum ritumque inaugurationis reliqui poſt eum Reges ad hunc usque diem retinuere.

Quanto ſui relicto deſiderio obiit? XXIII. Soluto conventu Poſonienſi Viennam redux Ferdinandus febri correptus eſt: quæ eum ad ultimum illum, etiam ſummis terræ Principibus aliquando ſubeundum agonem optime comparatum, confecit denique, exacto primo & ſexageſimo ætatis anno, VIII. Calend. Auguſti A. C. MDLXIV. Imperii Romani VI. Hungarici Regni XXXVII. Corpus ejus Vienna Pragam translatum, pone conjugem Annam dudum jam ante ſublatam B) collocatum

A) De hac inauguratione lege Nicolaum Iſtvanf. Hiſtor. Lib. XI. pag. 278. & Cl. Belium Tom. I. pag. 278.

B) Obierat Anna Regina jam An. MDXLVI. VIII. Calend. Februarii Pragæ, prolium XV. fœcunda

cum fuit. Verum tanti Principis virtutes & in poſteris, & in hominum memoria etiamnum vivunt. Erat Ferdinandus pii juſtique Principis exemplar abſolutiſſimum A), qui Deum Regum omnium Dominum ſem-

FERDI-NAND. I.

cunda genitrix. Filii fuere ſequentes: Maximilianus I. Imp. & Rex. Ferdinandus, Joannes, Carolus Archiduces. Filiæ autem, Eliſabetha Sigism. II. Polon. Reg. Nupta. Anna, Alberto Bavariæ Duci. Maria, Vilhelmo Juliæ & Cliv. Duci. Catharina, Franciſco Mantuæ Duci. Eleonora, Wilhelmo Mantuæ Duci. Barbara, Alphonſo II. Duci Ferrariæ, Joanna, Franciſco Magno Hetruriæ Duci collocatæ. Præter Magdalenam, Margaretam, Urſulam Æniponti; Helenam Halæ Sanctimoniales. Vide Geneal. Tab. II. Ex tranſitu hic monendus Lector, ſi exactam Habsburgo-Auſtriacæ Domus Genealogiam habere cupit, adeat Excell. ac Eruditiſſimi Rudolphi S.R.I. Comitis Coronini a Cronberg *Specimen Frogenealogico Genealogicum*, quod auctum continuatumque An. MDCCLXXIV. Typis Vindobonenſibus vulgavimus.

A) Indoluit Ferdinandi morti Solimannus ipſe, ajebatque „ Vere juſtus & recti tenax Princeps fuit, „ nec unquam in data fide fruſtratus eſt, „ appoſite nempe ad familiare Ferdinando Symbolum: *Fiat juſtitia & pereat mundus.*

FERDINAND. I.

ſemper præ oculis ferebat, conſilia actionesque ſuas non tam humanæ prudentiæ principiis; quam divinis Religionis Sacroſanctæ placitis conformare ſolitus. Eccleſiam Dei, ut ea ferebant tempora, prope oppreſſam unus pene ipſe in Germania & Hungaria pietate, prudentiaque ſua ſuſtentavit A). Zelum illius in avita religione tuenda teſtantur complures epiſtolæ, nominatim ea, quam ad Franciſcum Revaj Palat. Locumtenentem dederat, Comitiorum item Decreta, quibus Catholicæ religionis indemnitati proſpiciebatur: Quia vero potiſſima ruinæ cauſa videbatur, quod Gymnaſiis carerent Catholici; Anno MD. XLVIII. in Comitiis Decretum fuit, ut cœnobiorum deſertorum proventus converterentur in Profeſſorum Catholicorum ſtipendia, & erectionem Gymnaſiorum, in qui-

A) Gratitudo poſtulat, ut hic commemorem Ferdinandi in naſcentem tum Societatem Jeſu ſtudium, cui primus omnium Viennæ Collegium ſtatuit, ex quo Societas poſtea in Hungariam propagata fuit, primaque ibi Catholicos ludos Literarios aperuit.

FERDINAND. I.

quibus juventus Hungarica cum ſcientiis veterem quoque fidem Catholicam a D. Stephano olim introductam addiſceret. Atque hæc urgente Rege, a Proceribus in Eccleſiæ utilitatem acta ſunt. Ceterum id Ferdinando vitio datum a multis, quod per Duces, præfectosque militares Acatholicos, novorum dogmatum miniſtros in Hungariam induci, doctrinamque veteri contrariam impune diſſeminari ſiverit: qua de re Ordines Hungariæ in Comitiis Poſonienſibus Anno MDLXIII. celebratis, Articulo XXXII. propalam conqueſti ſunt. Leges in Reipublicæ commodum condidit Ferdinandus ſane quam multas, ut patet e vicenis Comitiorum Decretis, quæ ipſa multiplicitas Legum argumento eſt, innumeris graviſſimisque morbis id temporis Hungariam laboraſſe. Summa fuit in omnes adminiſtrationis partes vigilantia, & accuratione: neminem muneri præfecit, quin eum opportunis ſapientiſſimisque in omnem eventum inſtruxerit præceptionibus. Illud hic non tacendum, quod ante ceteras omnes ærarii expenſas militi, & minima

FERDI-NAND. I. etiam officia gerentibus ſtipendium ſtatis temporibus dependi procurarit ; in quo plurimum ille ad rectum gubernationis ordinem & ſalutem publicam momenti collocabat : at quoniam vectigalia Regni, quæ fere ex oſtiariis duobus florenis ab exigua Hungariæ parte collectis, aut lucro Cameræ conſtabant, tanto militi contra Ottomannos conſtanter alendo non ſufficiebant, factum non raro, ut ſtipendiarius miles exterus debito ſibi ſtipendio deſtitutus, in cives æque ac nobiles Hungaros rapinas exerceret : Cui malo nunquam medicina adferri potuit. Nam cum Antiſtites, Proceres, Regnique Nobiles non niſi unum equitem a ſingulis quinquaginta colonis ære ſuo alere tenerentur, neceſſe fuit, ut Ferdinandus majorem exteri militis numerum ſub ſignis cenſeret, huic vero ſtipendia deeſſe oportuit, quod ſeu præfectorum incuria, ſeu temporum iniquitate ærarium publicum exhauſtum eſſet. Ceterum Ferdinandus ea in omnes uſus fuit clementia & humanitate, ut neminem quantumvis vilem & ab-

abjectum ab aditu arceri voluerit, illud crebro uſurpans: *Quomodo nos Deus Regum Dominus exaudiet, ſi nos pauperum preces audire abnuamus.* Neminem ab ſe non donatum, aut conſolatione non affectum dimittebat: de ſe & Republica bene meritos opibus & honoribus ampliſſimis cumulavit. Multæ inter Hungaros familiæ ſua illi debent incrementa. Si quid a Reipublicæ curis ſuperabat otii, aut eruditis ſermocinationibus; aut pietati impendebat. Illud autem ſolenne habuit, ut ante quam negotia tractaret, Miſſæ ſacrificio quotidie intereſſet. Fuit denique Ferdinandus cunctis ad regendum dotibus apprime inſtructus, melioribusque dignus fatis, & temporibus: qui ſi continuo a Ludovici II. morte rerum in Hungaria pleno jure potiri potuiſſet; nunquam Solimannus ſuum illic dominatum ſtabiliviſſet. Cujus pietati illud merito ab æquiſſimo numine præmium datum fuit; ut ejus poſteri non interrupta ſerie Hungariam moderarentur, & quam prope convulſam acceperant,

FERDI-NAND. I.

FERDINAND. I. a)

rant, ad priſtinam revocarent felicitatem

GE-

a) De ceteris Ferdinandi I. Regis & Cæſaris optimi geſtis & laudibus conſule Cl. Georgium Práy qui caſtigatiſſimos Annales ſuos hactenus adduxit, quibus inſigniter nos uſos grati agnoſcimus. Utinam ceteram Annalium partem ad noſtra usque tempora eodem calamo pertexuiſſet!

TABULA II.

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI III.

Ferdinandus I. Rex Hung. Boh. Rom. Imp. ✠ 1564.
Conjux Anna Uladislai II. Regis Hung. & Boh. filia ✠ 1547.

- Maximilianus Rex Hung. Boh. Rom. Imp. ✠ 1576. Con. Maria Car. V. Imp. filia.
- Ferdinandus Archid. Auſtr. ✠ 1595. Con. a Philippina Velſer. b Anna Cathar. Mantuana.
  - a Andreas ab Auſtria ✠ 1600.
  - a Carolus ab Auſtr. ✠ 1618. Con. Sybilla Juliacenſis.
  - b Anna Matthias II. Rex Hung. Boh. Rom. Imp.
  - &cet.
- Carolus Archid. Auſtr. Vide Tab. III.
- Anna Albertus V. Dux Bav.

Children of Maximilianus:

- Rudolphus R. Hung. Boh. Rom. Imp. cælebs ✠ 1612.
- Erneſtus Arch. A. ✠ 1595.
- Math. II. R. H. B. Rom. Imp. ✠ 1619. C. Anna Ferdi. Arch. Auſt. filia
- Maximil. Archid. Mag. Ord. Teuton. Armorum Præſes in Hung. ✠ 1620.
- Albertus Arch. Gubern. Belgii ✠ 1621. C. Iſabel. Phil. II. Hiſp. R. filia
- Anna Philippus II. Rex Hiſp.
- & cet. filiæ.

MAXIMILIANUS

REX XL. ROM. IMP.

A. C. MDLXIV.

MAXIMI-
LIANUS.

Cur induciæ cum Turcis ruptæ?

I.

MAximilianus Cæſar ab obitu Patris Ferdinandi rerum in Imperio Romano & Hungaria potitus, moleſtiſſimum in Joanne Sigismundo Tranſilvaniæ Duce Joannis Zapolyæ Regis filio hoſtem expertus fuit, Is enim poſtquam pacem iis, quas proponebat, conditionibus impetrare non potuit A) Turcis, & Tartaris in ſocietatem vocatis, vicinam tibiſco oram miſerandum in modum cædibus, rapinis, & in-

A) Varios Joannes Sigismundus Maximiliano Cæſari per Stephanum Bathor de Somlyo Oratorem ſuum concordiæ ineundæ modos propoſuerat, quos tamen Cæſar conſtanter rejecit, propterea quod nullo pacto admittere vellet, ut Tranſilvania eidemque imperans Princeps Joannes Sigismundus ſeſe a Sacræ Coronæ Hungariæ Majeſtate imperioque ſubtraheret, quod tamen iſte præter titulum Regis Hungariæ contendebat. Vide Bethlen Lib. V. a p. 227.

MAXIMILIANUS.

incendiis divexare cepit. Vim injuſte adverſus induciarum fidem illatam vi repulſurus Maximilianus, Lazarum Schvendium Belliducem juſto cum exercitu in hoſtes dimittit. Favit fortuna Schvendio, brevique tempore Tokainum, Kôvarinum, Erdôdium, Bathorium, pluresque alias minoris cenſus arces partim vi, partim deditione accepit. Solimannus his cognitis Maximilianum monuit; occupatas arces ſine mora reſtitueret Joanni Tranſilvano, ac inſuper tributum a morte Ferdinandi intermiſſum extemplo penderet. Repoſuit Cæſar: utrumque ſe haud gravate facturum, ſi modo Joannes, qui prior pacem fregerat, factos in bellum ſumtus ſibi perſolveret; Turcæ vero ea, quæ interea in Hungaria contra fas loca eripuerant, reſtituerent. Generoſo eo reſponſo offenſus Solimannus; ſimul ut ignominiam, quam oppugnata incaſſum Inſula Melitenſi ſibi contraxiſſe videbatur, inſigni aliquo operæ pretio elueret, ſupremam in Hungariam tot jam cladibus debilitatam, nec ſatis ad defenſionem comparatam An. MDLXVI.

decre-

MAXIMILIANUS.

decrevit expeditionem. Et vero id ſolenne deinceps habuere Turcici Imperatores, aut eorum Vezirii, ut ſi qua in orbis parte minus proſperos habuiſſent belli ſucceſſus, ac idcirco populi Bizantini invidiam incurriſſent, continuo arma in Hungariam converterent, de triumpho ſecuri: ſic illi ex imbecilli hoſte nullo negotio palmas quærere, nominisque famam apud ſuos aucupari conſuevere.

Quis Cæſaris in bellum apparatus?

II. Ceterum imminentis belli turcici nuncio haud magnopere turbatus fuit Maximilianus, quod ad ſuſtinendam vim utcunque vires ſibi affuturas ſperaret: poſtquam enim ex Oratore ſuo Hoſzſzutotio per occultos nuncios de Bizantinæ aulæ conſiliis edoctus fuiſſet, gemina ſine mora indixit Comitia: Romani Imperii Principibus Auguſtam Vindelicorum: Poſonium autem Hungariæ Ordinibus ad IV. nonas Februarii An. MDLXVI. Imperii Comitiis, quo facilius ſperata æris militumque ſubſidia impetraret, ipſe præſedit; neque ſpe ſua fruſtratus fuit: decreta enim illic fuere

XLVIII.

XLVIII. peditum & VIII. equitum millia. Stipendia porro in eas copias ad octo menſes promiſſa, quæ ſi res poſceret, etiam in annum ſequentem prorogari liceret. Apud Hungaros paulo difficilius negotium habuit Carolus Archidux Cæſaris frater, qui abſentis Maximiliani vice Comitiis Poſonienſibus præfuit. Multa ibi Ordines Regni querebantur: cetera inter, Cæſarem poſt patris ſui Ferdinandi obitum nec in aditu Regni comitia celebrari curaſſe: neque primis his intereſſe: nullum dari mandatum de eligendo Palatino, cujus officium triennio jam inde ab obitu Thomæ de Nadasd vocabat: Cameræ quæſtores & vectigalium collectores, quos Dicatores appellant, avare omnino in quodlibet hominum genus graſſari, munerisque ſui prætextu ex proborum Civium rapinis privata ſua lucra quærere: a ſtipendiario milite incolas gravia acerbaque damna perpeti. Hæc & his conſimilia voce ſcriptoque in Comitiis jactata ſunt, ut appareret principio, ab exulceratis Ordinum animis vix quidquam impetratum iri. At ubi querulandi æſtus defer-

MAXIMILIANUS.

MAXIMILIANUS.

ferbuit, propoſita ante oculos afflictæ patriæ calamitate, imminenteque a Turcis diſcrimine, ad decernenda belli ſubſidia curas tranſtulere. Promiſſa hæc ſunt non quidem pro voto Cæſaris; at pro eorum temporum ratione ſat liberaliter. Trium, quos Cæſar in belli ſumtus petebat, florenorum loco, duo a ſingulis portis oblati: antiquatis eum in finem perpetuis quibusdam exemptionibus, quas Divi olim Reges Hungariæ conceſſerant, atque ad meliora tempora dilatis; atque his limitibus circumſcripta tum fuerant pecuniaria ſubſidia. Quod ad copiarum in Hungaria colligendarum numerum attinet, ita communibus votis conventum, ut ſinguli Prælati, Barones, Nobilesque Regni a centum colonis tres equites armis probe inſtructos conſtanter in promptu haberent, ſuoque ſumtu alerent, illic, ubi opus videbitur, Regis imperio militaturos. Denique Inſurrectionis generalis æque ac particularis, cui ex veteri Hungarici Regni inſtituto Nobilitas obnoxia eſt, ratio ad normam Decreto-

rum

[redacted]

rum Anni MDLII. & III. deſcripta a). His omnibus ex ſententia geſtis, ubi primum de Solimanni adventu rumor percrebuit, Maximilianus Cæſar validas ex Imperio, provinciisque hæreditariis copias in Hungariam accerſit, magnoque numero navigia, machinas bellicas, annonam ceterumque apparatum primo quoque tempore eo præmittit. Locus Chriſtianorum caſtris ad Jaurinum deſignatus; quo non multo poſt Cæſar ipſe cum Ferdinando Archiduce germano ſuo bellum adminiſtraturus advenit. Quoniam autem non latebat optimum Principem, præter humana auxilia divinam pariter opem ad bellum tam difficile ex ſententia gerendum admodum eſſe neceſſariam, ſeverum Viennæ edictum promulgari juſſit, ut audito certis horis æris campani ſono, ſinguli preces ad Deum victoriarum largitorem funderent, atque ita; ut nobiliſſimi quique viri curru forte aut equo vecti,

MAXIMILIANUS.

a) De his Comitiis Conſule Iſtvanfium, Lib. XXIII. Bethlen Hiſtor. Lib. V. & Decretum Comitiorum An. MDLXVI.

MAXIMILIANUS.

vecti, accepto eo ſigno, continuo deſilirent, poſitisque humi genibus, divinam deprecarentur miſericordiam. Quanquam autem vires Cæſaris, ſi in unum contrahere licuiſſet, magnæ erant; propulſare tamen; quam inferre bellum maluit: tribus porro iisdemque remotiſſimis locis rem geri oportuit. Lazarus Schvendius Tibiſci oram contra Joannis Sigismundi Transſilvani impetus tuendam ſuſcepit, Carolus Archidux Styriæ Dominus in Illirico vigilare juſſus, Cæſar cum tertia copiarum eademque maxima parte prope Jaurinum ad vicum Abda tentoria fixit; cenſebat autem ſuis in Caſtris octoginta peditum, & quinque ſupra vicena equitum millia. His ſuprema cum poteſtate præfecit Ferdinandum Archiducem Fratrem ſuum, eidemque, ſi forte abeſſet, Guntherum Comitem a Schvartzenburg Vicarium conſtituit.

Quomodo deluſus a Turcis Transſilvanus?

III. Sic comparatis Chriſtianorum viribus, Solimannus univerſam ſecum trahens Aſiam An. MDLXVI. æſtate ineunte Taurunum pervenit. Hic eum honoris cauſa

Joan-

Joannes Transſilvanus convenit, moxque ad alloquium admiſſus ſalutata Benefactoris dextra, libellum ſupplicem porrexit: quo Budam, ceteramque Hungariam ex pactis Budæ An. MDXLI. firmatis ſibi reſtitui poſtulavit. Placuit ea humanitas Solimanno, traditoque ſine mora libello Mehemetem Purpuratorum Principem Vezirium monuit, ut Joannis clientis ſui deſiderio quam primum ſatisfaceret. Verum rem omnem corrupit intempeſtiva Adoleſcentis Principis ambitio: Mehemetes quippe maximi pretii muneribus in tentorio ſuo præparatis, Joannem ut ad ſe quoque divertere ne gravaretur per internuncium invitarat, quod cum ille Caſpari Bekeſſii Ariani hominis conſilio, ceu a dignitate ſua alienum reſpuiſſet, Mehemetes ea ignominia adeo vehementer commotus fuit; ut adornatis de induſtria accuſationibus Solimanni animum a Joanne, & Budæ reſtituendæ conſilio penitus avocaverit. Neque Joanni unquam poſtea aditus ad Solimannum patuit, quo ſe de objectis criminationibus purgare poſſit. Atque hunc in modum Zapolyanorum

MAXIMILIANUS.

MAXIMILIANUS.

cum Turcis amicitia magno rei Chriſtianæ damno caſtigata fuit A).

Qui ſupremi Solimanni labores?

IV. Solimannus Tauruno digreſſus, vires omnes ad obſidendam Agriam, a cujus oppugnatione olim per Stephanum de Dobó An. MDLII. Turcarum exercitus ingenti nominis Hungarici gloria cum clade rejectus fuerat B), convertere decrevit. Sed id conſilium poſtea, vindictæ in Nicolaum Zrinium ſtudio, mutatum fuit. Mehemetes Solimanni propinguus Boſniæ Præfectura donatus, cum trecentis equitibus ad Provinciam ſuam iter habens, ad Szikloſienſia ſuburbana diverterat, atque illic a Szigethanis Zrinii præſidiariis nocte ſupervenientibus una cum filio, & viæ comitibus omnibus interfectus fuerat. Quam cædem hominis ſibi cariſſimi ulturus Solimannus,

A) Iſtvanf. Lib. XXIII. Bethlen. Lib. V.

B) Agrienſis arcis oppugnationem a Sambuco deſcriptam habes ad calcem Bonfinii Hiſtoriæ editionis; qua nunc utimur Baſileenſis A. MDLXVIII. pag. 797. inſertam, & apud Iſtvanf. Hiſt. Lib. XVIII.

nus, omiſſa Agria, Szigethum deflectens, ducenta armatorum millia Arci, non niſi MD. præſidiariis defenſæ, circumfudit ipſis Auguſti Calendis. Quanta fortitudine, & conſtantia locus iſte a Nicolao Zrinio præfecto, exiguoque illo bellatorum manipulo contra immenſam Turcarum vim propugnatus ſit, non eſt inſtituti noſtri hic deſcribere A), nil certe ſimile ætas ulla vidit, aut poſterorum memoriæ commendavit. Nudata propugnaculis per diurnas nocturnasque verberationes arce, vicenis plures aſſultus incredibili pertinacia a Turcis facti; totiesque heroi militis virtute propulſati ſunt. Ad extremum dum enato caſu incendio arx, & quidquid uſui eſſe poterat, conflagraſſet, Zrinius VII. Septembris cum reſiduis ſociis præſidio egreſſus, exploſo non ſine hoſtium clade immani, quod unum reliquum fuit, tormento, MAXIMILIANUS.

H 2 in

A) Conſule Nicolaum Iſtvanf. Hiſtor. Lib. XXIII. item præter innumeros alios Hiſtoriam Szigethi capti in Collect. Script. Hung. Schwandn. Tom. I. Parte III. edit. Tyrnav. pag. 118.

MAXIMILIANUS.

in Turcas denſatis ordinibus ſtantes, ſignumque pro futura aggreſſione expectantes generoſe irruit, horribilique quaqua verſum edita cæde, fortiter dimicans occumbit a). Ceteri ſocii pariter non inulti cecidere. Sunt qui eruptione hac & reliquo oppugnationis tempore XXV. millia Turcarum periiſſe ferant, alii cladem ad LXXX. millia extendunt. Victoriæ huic ſane quam cruentæ Solimannus minime ſuperſtes fuit, ut qui IV. Septembris epileptico attritus morbo interiit, cum ætatem ad LXXVI. annum adduxiſſet, ob inſignem prudentiam militarem, & ſucceſſus glorioſiſſimos primis Turcarum Imperatoribus accenſendus, non Hungariæ modo, ſed & cæteris vicinis populis funeſtiſſimus. Mors Solimanni tamdiu militibus celata fuit, dum ejus

filius

MAXIMILIANUS.

filius Selimus de eadem per citatiſſimos nuncios edoctus Bizantii poſſeſſionem cepit: qui ſubinde exercitui ex Hungaria revertenti obviam factus Belgradi, fauſtis ſuorum acclamationibus in ſolio confirmatus fuit. Præter Szigethum; Gyulam etiam a Turcis, qui Joanni Sigismundo ſuppetias miſſi fuerant, eodem prope tempore expugnatam amiſimus. Geminam hanc jacturam cumulavit Tartarorum rabies, qui vaſtata, direptaque crudeliter Hungaria, nec ab ipſius Joannis Tranſilvani ditionibus furorem cohibuerunt. Maximilianus Cæſar Veſprimio, & Palota receptis contentus, quod Solimanni mortem ignoraret, militem ad Octobrem usque in caſtris continuit, relictoque Ferdinando fratre, Viennam in Principum nobiliumque comitatu incolumis receſſit.

A morte Solimanni quæ Cæſaris ſtudia?

V. A morte Solimanni, cujus nomen Hungariæ admodum funeſtum fuit, ſpes aliqua pacis fortunæque melioris Hungaros inceſſerat. Selimus enim a bello abſtinuit; ut adeo An. MDLXVII. ſi populationes

[redacted]

MAXIMILIANUS.

quotidianas demas, nil maleficii Hungariæ a Turcis illatum fuerit. Maximilianus Cæſar ea malacia in reipublicæ commodum uſurus, Comitia ad Calendas Junias ejusdem anni Poſonium convocavit; ut illic vel de pace honeſtis conditionibus a Selimo impetranda cum Hungaris deliberaret; vel ſi bellum illi præoptarent, ad æris militumque ſubſidia præſtanda eosdem induceret. Quanquam autem Ordines Hungariæ diuturni belli tædio confectos & tot laboribus pro patria toleratis exhauſtos quietis cupido tenebat; quia tamen de Selimi voluntate nondum ſatis conſtabat, quæ ad adparandum tempeſtive bellum neceſſaria videbantur provide conſtituere. Oſtiarii duorum florenorum ſtipendii collectio ulterius prorogata, & ne quid fraudis a Dicatoribus committi poſſet, ejusdem exigendi ratio præſcripta. Ad ſingulas arces & fortalitia reparanda Comitatibus vicinis certus operarum numerus imperatus ac definitus: ſevere nihilominus cautum; ne militares locorum præfecti, Capitaneive operis his ad privatos œconomiæ ſuæ labores peragendos

abute-

MAXIMILIANUS.

abuterentur, id quod ſuperioribus temporibus non ſine miſeræ plebis injuria fieri conſueverat. Prælati, Barones, ac quique nobilitatis prærogativa gaudentes a ſingulis colonorum centuriis tres equites armatos alere juſſi; qui id facere detrectarent, dupli pœnæ ſubeundæ ſubjecti. Inſurrectio ad ſuperiorum Legum normam decreta. Quia vero plurium annorum experientia docuerat, Raſcios homines mercatui faciendo deditos Ottomannis clam ſtudere, eisdemque arcana omnia revelare, quo ſecuritati publicæ proſpicerent Ordines, ſevere cum aliis omnibus terreſtribus Dominis; tum vero Arcium ac fortalitiorum Præfectis, vetuere, ne hos aliosve ejusdem farinæ homines privati lucri cauſa in commune Regni totius damnum retinere ac protegere audeant. Hæc aliaque plurima in Comitiis ejusdem anni ad publicam utilitatem perlata ex Decreto tum vulgato licet intelligere.

Quibus pactis pax coaluit?

VI. Cæterum Maximilianus exhauſtum tot annorum bellis ærarium, & ſubſidia ab

MAXIMILIANUS. Ordinibus oblata Orientis viribus retundendis imparia eſſe videns, ac una a Regno tot cladibus ad incitas redacto vix quidquam præterea opis expectans, de quiete reducenda magis; quam de bello apparando ſollicitus fuit. Cum itaque Comitiorum tempore Hungaros quoque eo propendentes animadvertiſſet, Bizantium Oratorem mittere decrevit, pacem poſtulaturum. Delectus ad id muneris fuit Antonius Verantius Agrienſis Antiſtes, domum ſubinde redux ad Strigonienſem promotus Metropolim. Selimus Imperator, qui Solimanno ut diximus ſucceſſerat, quod bellum Cyprium jam tum meditaretur, haud difficilem ſe legato præbuit, pacemque in octennium conceſſit, cujus hæc ſumma fuit: quod quisque bello ſibi peperiſſet, retineret; hoſtilitas omnis utrinque ceſſaret: Joannes Dux Tranſilvanus iisdem induciis comprehenderetur. Utiliſſimam fuiſſe eam pacem Hungariæ clarum eſt, cum quod Maximilianus plurimas ditiones Tranſilvano eripuerat, tum vero quia tot bellis defeſſæ Regioni reſpirare aliquando licuit. Itaque

[redacted]

que eodem adhuc anno MDLXVII. a bello ceſſatum. MAXIMILIANUS.

VII. Vehementer eæ induciæ Joanni Tranſilvano diſplicebant, quod nihil per eas emolumenti acceſſiſſet. Ut igitur damnum ſarciret: quia ob pacem nuper ſancitam, bello non licebat, ad indignas Principe artes converſus fuit. Georgio Botskajo fluxæ fidei Viro in commiſſis dat, uti Procerum Hungarorum aliquos ad defectionem ſollicitaret, quorum opera ſuperiorem Hungariæ partem in poteſtatem redigeret. Egit rem impigre Botskajus, junctosque ſibi affinitate Stephanum Dobó, & Joannem Balaſſa ſuas in partes pertrahit; at enim telam, quam orſus fuit, pertexere nequiit; interceptis mature litteris, re prodita, utrique dies dictus eſt. Illuſtrata An. MDLXVIII. in Poſonienſibus comitiis cauſa, Majeſtatem læſiſſe pronunciati ſunt; ſed Cæſar deprecantibus poſtea Regni Ordinibus placatus, utrumque dimiſit liberum, maluitque ſuæ in reos clemen-

[redacted]

MAXIMILIANUS.

tiæ, quam ſeveritatis exſtare monumentum A).

Quomodo demum lites terminatæ?

VIII. Joannes nil ſibi in dolis præſidii eſſe perſpiciens, ſerio demum A. MDLXX, ad ineundam cum Cæſare amicitiam applicuit animum. Legatoque Bekeſſio, pacem ſequentibus obtinuit conditionibus: Hungariæ Regis titulo abſtineret Joannes, atque ſereniſſimi Principis appellatione contentus eſſet. Bihorienſem, Maramaroſienſem, Szolnokienſem & Kraſznenſem Provincias, ſed ſolum vita comite, poſſideret, una cum hæreditario ad poſteros Tranſilvaniæ principatu. Unde ſi per Turcas ejici eum aliquando contingeret, ad Oppolienſem Ducatum demigraret. Si quid finium Orientem verſus a Turcis recuperare poſſet, id ejus ditionis peculiare eſſet. Si abſque hærede exceſſiſſet, liberum eſſet Tranſilvanis, quem vellent, ſibi legere Wayvodam; Regi tamen Hungariæ clientelæ fide obſtrictum. Eosdem uterque, Rex

A) Iſtvanſ. Lib. XXIV.

Rex Hungarus & Dux Tranſilvanus haberet amicos & hoſtes, mutuoque ſibi præſto eſſent. Hac tamen addita cautione, ut quamdiu fieri poſſet, Transſilvanus, occultato fœdere, Selimum priſtinis amicitiæ officiis coleret. Neque enim tutum videbatur id Turcis innoteſcere; partim quod nondum omnium Transſilvanorum in Cæſarem animi explorati erant; partim quod vires ad Turcis reſiſtendum pares non aderant A). Fœdera hæc ut firmiora eſſent, alterutra Cæſaris Neptis, aut Bavariæ Ducis Alberti, aut Guilielmi Juliacenſis filia in matrimonium promiſſa. Tabulæ ſub exitum anni MDLXX, ſignatæ incredibili Joannem lætitia affecere, quod ſe nunc demum e Turcica ſervitute liberatum gratularetur. Verum non multo poſt parum acceptus in aulam Tranſilvanicam allatus eſt nuncius: alteram e Cæſaris Neptibus deformem admodum eſſe: alteram a nuptiis Joannis, niſi ad Catholicam Religionem rediret, abhorrere. Immodica ea-

pro-

A) Iſtvanſi Hiſtor. Lib. XXIV. pag. 517.

MAXIMILIANUS.

propter ira commoto animo in lethalem, quem vitæ intemperantia dudum ante ſibi conſciverat, morbum recidit: in quo etiam poſt quinquaginta quatuor dierum phreneticas convulſiones deceſſit Albæ Juliæ, poſtridie iduum Martii Anno MDLXXI. ætatis altero ſupra triceſimum, ibidem tumulo illatus. Illud triſtiſſimum, nemini præter Blandratam Medicum, & ejus farinæ Socini aſſeclas, ad ægrotantem patuiſſe aditum, qui dum corpus Principis medicamentis procurat, animum execrandis contra Chriſti divinitatem erroribus peſſumdatum ibat, infelix e Medico Theologus. Et vero Joanni ſua debet incrementa rediviva Arii in Transſilvania ſecta, quod Blandratæ Archiatri & Caſpari Bekeſſii inductus conſiliis neminem, niſi Socini dogmata profeſſum aulæ muniis magiſtratibusve admoveret: qua arte effectum, ut complures gratiam Principis & honores ſaluti ſuæ præhabentes ab avita religione Catholica deſciverint, Socinique placita ſint amplexi. Malo huic remedium adferri non poterat, quod Blandrata muneris ſui cauſa quotidie cum

Prin-

[redacted]

MAXIMILIANUS.

Principe agendi opportunitatem nactus, ita ejus animum captivum reddiderit, ut ſolus pene cuncta arbitrio ſuo moderaretur. Sic cum Joannes Sigismundus Unigenito DEI Filio divinitatem ereptum ibat, ipſe e principatus faſtigio rebusque humanis præmaturo fato exemptus, duobus prope ſeculis florentem domum Zapoliam ſecum una tumulo intulit.

Qui recepta in fidem Transſilvania?

IX. Poſt Joannis Sigismundi obitum, Maximilianus de Sacræ Coronæ ſuæ in Transſilvaniam juribus ſtabiliendis tuendisque ſollicitus, ſalvam quidem reliquit Ordinibus provinciæ poteſtatem, quem vellent ſibi legendi Wayvodam; id tamen ex pactis nuper cum Joanne Sigismundo initis jure exegit, ut ille ſibi qua Regi Hungariæ clientelam obedientiamque ſolemni juramento interpoſito profiteretur, nominatimque paratum ſe declararet, ad reſignandum ſibi cum imperarit Wayvodatum. Hac cautela adhibita ſperabat Cæſar fore, ut Transſilvani ſenſim ad S. Coronæ Hungaricæ obſequium ac in unum cum Hungaris corpus

[redacted]

[redacted]

MAXIMILIANUS.

pus poſtliminio rediret. Sapienter alioquin prævidebat, nil unquam utiliter in Turcas ſuſcipi poſſe, donec Transſilvani ſeorſim ab Hungaris ſuam haberent rempublicam, portæ potius Ottomanicæ, quam Regi Hungariæ obnoxii. Hæc ſumma votorum Cæſaris fuit. Interea Transſilvaniæ Ordines ad juſta ſuprema demortuo Principi peragenda Albam Juliam confluentes, de optando ſucceſſore conventum habuere. Duo porro fuere, qui principatum ambiebant, Caſpar Bekeſſius, a pace nuper cum Cæſare confecta domum redux, & Stephanus Báthori de Somlyo. Ille ſpes maximas conceperat, quod Maximilianus eidem faveret impenſius, ceu homini, cujus conſilio & opera Transſilvania quam facillime ad obedientiam revocari poſſet; at enim non levi ille apud ſuos invidia laborabat, cum ob intolerandam arrogantiam multis ſub Joanne Principe argumentis declaratam; tum vero ob ſummam in tuendis Socini erroribus pertinaciam. Bathorium ex adverſo multa commendabant, eademque præclara merita: natalium ſplen-

dor,

[redacted]

MAXIMILIANUS.

dor, in avita Religione Catholica conſtantia, rara in communi illa fidei & morum corruptione continentia animique moderatio; inſignis in rebus maxime arduis pro patria aggrediendis perficiendisque prudentia & fortitudo, multa denique pace belloque glorioſe geſta: quæ cum ante omnium oculos verſarentur, unanimi pene ſuffragio, Stephanus Bathori Transſilvaniæ Wayvoda proclamatus fuit: qui poſtquam de gentis immunitatibus tuendis & libero cujusvis Religionis exercitio indulgendo Ordinibus Sacramentum dixiſſet, fauſto ſane omine magiſtratum An. MDLXXI. auſpicatus fuit, maximis Bekeſſii ingratiis, qui Maximiliani favore fretus, omnem poſtea movit lapidem, ut Bathorium dignitate dejiceret: donec bello demum victus, & domo extorris ſupplex eidem jam Poloniæ Regi accidit, veniamque poſtulavit, quam etiam ab offenſo toties Principe raro Chriſtianæ moderationis exemplo impetravit: ſed hæc ſerius evenere. Bathorius interea Wayvodatum adeptus, nuncios de electione ſua ſine mora ad Selimum Turcarum

MAXIMILIANUS.

rum Imperatorem ad Maximilianum Cæſarem expedivit; Selimus hoc humanitatis officio delinitus, nil contra obmovit; quin continuo Principatus inſignia puta: Vexillum, ſceptrum, acinacem, mitram ducalem, criſta adornatam, aliaque munera transmiſit, id ſolum imperans, ut Bathorius vetera Zapoliam inter ac Solimanum inita pacta, ſtabilitamque cum Porta Ottomanica unionem fideliter ſe cuſtoditurum promitteret. Jam tum nempe Aula Byzantina legis inſtar apud ſe ſanxerat, ut Transſilvania ſeorſim ab Hungaris ſuum haberet Principem Portæ Ottomannicæ clientem, neque unquam ad Regis Hungariæ obedientiam redire ſineretur: qua ſeparatione ſtante videbant Turcæ ſuum pariter in Hungaria dominatum firmiter ſtaturum; ea vero ſublata, coaleſcentibus ſub eodem capite in unum Transſilvanis & Hungaris necceſſario interiturum. Maximilianus hæc hoſtium conſilia probe explorata perſpectaque habens, viresque pertimeſcens; etſi Bekeſſium præteritum acerbe ferret; tempori tamen cedendum exiſtimans, Bathorii

ele-

[redacted]

MAXIMILIANUS.

electionem ratam habuit, ſimul tamen formulam ſubmiſit, A) qua ille ſibi ut Regi Hun-

A) En juramenti formulam: „Ego Stephanus „Báthori Wayvoda Tranſſilvanus, & Comes Siculorum, juro per DEUM vivum &cet, quod Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi & Domino, „Domino Maximiliano electo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto ac Hungariæ &cet. Regi „*Domino meo Clementiſſimo* ejusdemque hæredibus „& ſucceſſoribus, legitimis videlicet *Hungariæ Regibus* a modo in poſterum fidelis obediens & „*ſubditus*, atque in hoc Wayvodatus mei officio „hoſtibus ſuæ Majeſtatis hoſtis; amicis amicus „ero: arces & bona ſuæ Majeſtatis, quæ manibus „meis fuerint tradita, pro ſua Majeſtate, & ejus „ſucceſſoribus legitimis ſcilicet *Hungariæ Regibus* „fideliter conſervabo, & conſervari curabo: omnes „Status & Ordines Regni Tranſſilvaniæ in ſuis juribus & libertatibus teneho, tam contra internos „quam externos hoſt.s defendam, omnibus coram „me cauſantibus rectum & verum judicium juſtitiamque adminiſtrabo; prece, præmio, odio, favore, amore, & complacentia ſemotis, ac quandocunque per eandem Cæſaream & Regiam Majeſtatem præfatum officium Wayvodatus, una cum „arcibus & bonis fidei meæ concreditis a me repetetur; idem libere ſine omni difficultate & ſub-

MAXIMILIANUS.

Hungariæ fidelitatis juramentum præſtaret. Inerant ei formulæ nonnulla, quæ paulo duriora videbantur, ut Wayvodatus gerendi & reſignandi tempus arbitrio Cæſaris reſervatum, quæ quidem & precariam dignitatem & ſupremum Regis Hungariæ jus in Transſilvaniam ejusque Wayvodam indicabant. Ut adeo Bathorius minime conſultum putaret, id genus formulam Ordinibus Regni propalam promulgare. Ne tamen in ipſo Wayvodatus aditu invidiam ſibi apud Cæſarem, quem Bekeſſio aperte facere noverat, conflaret; dignitatemque ſuam tempeſtatibus objiceret; paruit Maximiliano, paucisque iisdemque fidiſſimis teſtibus præſentibus, fidem ea, quæ oblata fuerat, forma profeſſus fuit. Præter Transſilvaniæ præfecturam nonnullas etiam in Hungaria ditiones Bathorii fidei a Maximilia-

„ terfugio eidem ſuæ Majeſtati, vel cui eadem Ma„ jeſtas juſſerit, *reſtituam & aſſignabo.* Ita me „ DEUS adjuvet &c. „ apud Bethlen Lib. VI. pag. 289. Ex hac formula licet eruere quam arctis limitibus per Maximilianum circumſcripta fuerit Stephani Báthori Wayvodæ poteſtas.

MAXIMILIANUS.

miliano creditas fuiſſe patet vel ex titulis quibus in ſuis ad eum literis uti conſueverat. Sic autem habebant : *Spectabili ac Magnifico Stephano Báthori de Somlyo, Wayvodæ partium Regni noſtri Hungariæ Transſilvanarum, & Siculorum Comiti, ac in certis ejusdem Regni Hungariæ partibus noſtro Locumtenenti fideli nobis dilecto.* Unde opinor clarum fit, poſt Joannis Sigismundi obitum, Transſilvaniam ex pactis nuper initis ad S. Coronæ obedientiam rediviſſe, ac Stephanum Bathori ejus Wayvodam; neque enim is ſe Principem tum quidem appellabat, nonniſi vicaria pro Rege Hungariæ poteſtate provinciæ præeſſe cepiſſe. Bathorius, qui principis autoritatem ſuam limitibus circumſcribi paſſus fuerat; ut ſe in dignitate confirmatum vidit, non deſtitit Maximilianum interpellare, ut aliquid de ſummo imperio remitteret, ac ſaltem perpetuum ſibi relinqueret Wayvodatus officium; præſertim, quod ſi ea res in vulgus dimanaret, apud Transſilvanos libertatis ſuæ tuendæ ſtudioſos ſeditionis periculum vix evitari poſſet, non

MAXIMILIANUS. ſine & ſuo privato & communi Hungariæ damno. Maximilianus ex ancipiti rerum ſuarum poſitu futura proſpiciens, atque una ſapienter providens, Turcas minime tum quidem paſſuros, ut Transſilvania ab unius Regis Hungariæ imperio penderet, non nihil tempori cedendum ratus, clam initis cum Wayvoda pactis, rem ita temperavit. Bathorius vita Comite Transſilvaniam moderaretur, clientem nihilominus ſe S. Coronæ gereret: ab ejus obitu Provincia omnis nulla interpoſita mora ad Maximiliani, ejusdemve ſucceſſorum Hungariæ Regum obedientiam devolveretur: quod ut eo facilius ac citra armorum ſtrepitum obtineri poſſet, annuente Maximiliano, id conſilii Stephanus Bathorius inierat, ut Magiſtratus omnes, ac præſertim arcium fortalitiorumve præfecti militares non modo ſibi, qua Wayvodæ; verum etiam Germano ſuo Chriſtophoro Bathori tanquam legato fidelitatis juramentum præſtarent. Hac cautela adhibita, ſperabat ille fore imprimis, ut ſibi forte demortuo frater in Wayvodatu ſuccederet; hujus viciſſim

[redacted]

opera Maximilianus nullo negotio in Tranſſilvaniæ poſſeſſionem introiret. Sic ille privatas familiæ ſuæ res cum Regis ſui rationibus egregie provideque copulavit. Ceterum Bathorius Wayvodatum adeptus curas omnes eo intendit, ut Transſilvaniam quieti reſtitutam in meliorem formam reduceret, Religionemque Catholicam, per Socinianos prope exſtinctam, ſuis quaſi ex ruinis excitaret. Verum optimas ejus deſtinationes non parum impediebat Gaſpar Bekeſſius, qui Maximiliani Cæſaris gratia ſubnixus, & Bathorio Wayvodatum eripere certus, multis procerum in ſuas partes pertractis, non contemnendum ex popularibus ſuis conſcripſerat exercitum, auctusque Cæſaris ſuppetiis, hoſtili modo provinciam invaſerat. Continuato varia fortuna bello ad extremum Bathorius æmulo Bekeſſio victo profligatoque, complures Illuſtri nominis viros in poteſtatem redegit, quorum etiam non paucos, de proditione convictos, infamibus ſuppliciis Claudiopoli poſtea e medio ſuſtulit, ampliſſimis eorum latifundiis in fiſcum redactis. Graviter id tule-

MAXIMILIANUS.

MAXIMI-LIANUS.

colere Bekeſſianis partibus ſtudentes Tranſ-ſilvaniæ proceres, jureque caſos negabant propterea, quod Maximilianum Hungariæ Regem ſuum Dominum ac Principem, Bathorium vero ſolum ejus Vicarium ac ideirco ſummi imperii majeſtate deſtitutum agnoſcerent, neque putarent eos, qui pro Bekeſſio Cæſaris cliente arma in Wayvodam corripuerant, perduellionis notam incurriſſe. Ut ut ſe res tum habuit, ſeveritas illa improvide admodum in Bekeſſii affectus exercita plurimas illuſtres familias a Stephano Wayvoda, totaque Bathoria domo alienavit, atque etiam in cauſa fuit, ut Domus hæc ex eo die variis in Transſilvania jactata fuerit tempeſtatibus, usque dum interiit. Compreſſa Bekeſſiana factione, Maximiliano Cæſari ſat diu poſtea optime cum Stephano Bathorio convenit. Hic enim eum omni obſequii genere deinceps percolere non omiſit: nam & cunctis de rebus, quæ in Transſilvania gerebantur & de aulæ Bizantinæ conſiliis per ſecretos nuncios eum edocebat, ut adeo Maximilianus impen-

MAXIMILIANUS.

pendentes ditionibus ſuis procellas mature prævidere diſſipareque potuerit.

Quid negotii Poloniæ cauſa ?

X. Concordia hæc poſt tempus aliquot unde minime ſperari poterat, turbata fuit. Res ſic accidit: exſtincta in Sigismundo II. Poloniæ Rege, ſtirpe Jagellonica, Henricus Andegavenſis Dux An. MDLXXIV. Regnum Poloniæ obtinuerat; verum ſexto poſt menſe clam inde diſceſſerat, poſt germani ſui Caroli IX. Regis obitum Galliæ coronam occupaturus A). Polonici Senatores ea Regis ſui fuga offenſi, cum ad præſtitutum diem vocatus ille non adeſſet, ſolium ſuum vacare pronunciarant. Indictis itaque ad Calendas Decembres An. MDLXXV. Varſaviam Comitiis, poſt

A) Henricus hic admodum infelix fuit, poſtquam enim Guiſios fratres occidi curaſſet, ipſe a Jacobo Clement a S. Cloud interemtus eſt eodem An. MDLXXIV. ſtirpemque Valleſiam ſecum tumulo intulit. Civile poſtea bellum exortum, quo victor Henricus IV. Burbonius Anno demum MDLXXXVIII. tronum Galliæ occupavit: Ipſe pariter An. MDCX. a Franciſco Ravaillac cultro occiſus.

MAXIMILIANUS. multam deliberationem, pars Jacobo Uſchanſkio Gnesnenſi Primate duce Maximilianum Cæſarem; pars agente potiſſimum Samuele Zborovſzkio, Stephanum Bathori Regem acclamavere. Nec mora a ſingulis partibus ad ſingulos deſtinati oratores, qui præſcriptas die XV. Decembris a Senatu conditiones deferrent in ipſo Regni aditu a novo Rege jurisjurandi Religione interpoſita confirmandas. Bathorius necquidquam dehortante Maximiliano, oblatam ſibi Coronam lubens acceptavit, propoſitasque conditiones omnes die VIII. Februarii Anni MDLXXVI. Megyeſſini in Procerum ſuorum præſentia ratas habuit; non item Maximilianus: diſplicebat ei nempe, Reipublicæ Polonicæ poteſtatem iisdem conditionibus ultra modum augeri; regiam vero auctoritatem ultra æquum deprimi ac tantum non ſufferri. Ad hæc anceps diu hærebat Cæſar, ſibine; an Erneſto filio Poloniam aſſereret. Ad extremum ne importuna mora tanti momenti negotium corrumperet, ipſe pariter die XXVI. Martii ejusdem anni omnia & ſingula rata habuit.

At-

MAXIMILIANUS.

Atque hoc tempore ſi, ut Poloni ſuadebant, Maximilianus ſine mora Cracoviam iter maturaſſet, præſentia ſua compreſſis adverſæ factionis ſtudiis nobiliſſimum Poloniæ Regnum ſibi Auguſtæque Domui ſuæ nullo negotio obtinuiſſet. At cum ille diu tergiverſatur; Stephanus Bathori fortunam ſuam in celeritate poſitam ratus, Chriſtophoro Germano ſuo, conſentientibus Proceribus, Transſilvaniæ Wayvoda conſtituto, ſibi vero & titulo & auctoritate Principis vindicata, quaternis ſuorum millibus comitatus, Poloniam nemine reſiſtente ingreditur, Cracovia ſubinde Regni Metropoli potitus, ductaque conjuge *Anna* Sigismundi II. Regis ſorore, ſtirpis Jagellonicæ ultima ſobole, Calendis Maii Anno MDLXXVI. ſolenni pompa inauguratus fuit a Stanislao Karnkovſzkio Wladislavienſi Epiſcopo; quod Primas Regni Maximiliano tum adhuc addictus id officium peragere detrectaret. Fuit quidem Stephano Báthorio Poloniæ Regi aliquamdiu colluctandum cum adverſa factione; verum humanitate & prudentia id demum effecit,

MAXIMILIANUS.

ut intra anni unius ambitum omnes pene alterius partis proceres eidem fidelitatis Juramentum ultro nuncuparint. Præreptam ſibi atque Auguſtæ Domui ſuæ Coronam Poloniæ, pro eo ac par erat, ægerrime tulit Maximilianus Cæſar, armisque æmulum ſolio deturbare certus, omnes pene Europæ Principes, ac ipſum adeo Gregorium XIII. Pontificem in fœderis communionem pertraxit. Verum conſilia hæc mors intercepit, de qua paulo inferius acturi ſumus. Interea Stephanus Bathorius ſecure feliciterque Poloniæ dominatus fuit, quem ſingulari Numinis providentia ad id faſtigium evectum fuiſſe, illuſtria illius in Eccleſiam & Gentem Polonicam merita declarant. Præterquam enim quod rem Catholicam cum in Polonia, tum vero in Transſilvania A) utcunque reſtituerit; devictis inſuper pro-

A) Cum nullum tota Transſilvania ad eum diem eſſet Gymnaſium Catholicorum, Stephanus Rex Poloniæ An. MDLXXXI. Claudiopoli Academiam condidit, ampliſque latifundiis ſtabilivit, cujus curam credidit Societatis Jeſu hominibus, quos a S. Franciſco

[redacted]

MAXIMILIANUS.

profligatisve Ruſſis, ac aliis hoſtibus, Regnique limitibus non mediocriter prolatis, nobiliſſimam gentem Polonicam ad ſummum potentiæ gloriæque apicem evexit, unde haud ſcio, an aliquando decidere potuiſſet, ſi Stephanus Bathorius inſignes ſuas regendi dotes ad ſucceſſores ſuos transfudiſſet. Eum certe is toto Regni ſui tempore ſe exhibuit, ut rerum præclare geſtarum magnitudine atque gloria pleroſque deceſſorum ſuorum ſuperarit. Sed hæc ex tranſitu ſolum ad gentis illius, unde Stephanus Bathorius ortum duxit gloriam; jam ad res Hungaricas, unde paulum digreſſi ſumus, redeamus.

Quid actum pace in Hungaria?

XI. Maximilianus interea, ſi diſſidia cum Stephano Bathorio Poloniæ cauſa exorta demas, jam inde ab An. MDLXVII, quo

...ſco Borgia Ordinis id temporis Præpoſito Generali impetravit. Literas fundationis lege apud Doctiſſimum Stephanum Kaprinaj in Hiſtoria Diplomatica Tom. I. pag. 41. Produxit porro vitam Stephanus Rex Poloniæ usque ad An. MDLXXXV. quo, nullo relicto hærede, e vivis exceſſit.

MAXIMI-LIANUS. quo pacem a Selimo impetraverat, domi quietem habuit. Qui enim Selimo [illegible] ſucceſſerat Ann. MDLXXV, Amurathes priores inducias in octennium prorogavit; ut adeo Maximilianus ſpatium nactus ſit ad formandam rempublicam Hungaricam. Quid hac in parte ab eo effectum ſit, ex Comitiorum Decretis facile ſuperque colligitur. Illud vero ut candide aperiam, quod ſentio: præter jura municipalia, nuſquam melius ſive Jus publicum Hungariæ, ſive politicam ejus Hiſtoriam explicatam eſſe reperies, atque in Generalium Regni Comitiorum decretis: hic Regis Civiumve officia: Regni vires aut imbecillitatem, diverſa pro temporum ratione gentis ſtudia, Civilium turbarum fontes, damna, & medelam; mores denique ſingularum ætatum velut in imagine expreſſa intueri licet illis, qui non obiter; ſed attenta mente ſingulas leges perſcrutantur. Atque ut de Maximiliani decretis aliquid obiter attingamus, multa eaque graviſſima vitia, quæ ſuperiorum bellorum tempore in ſingulas gubernationis partes irrepſerant, per ſeveriſſimas leges

ſunt

[redacted]

MAXIMILIANUS.

ſunt correcta. Complura beneficia Eccleſiaſtica, quæ Militares præfecti & Capitanei, ut militi extero ſtipendia inde compararent, venum dederant, aut pignori locarant; e poſſeſſorum manibus vindicata: violentæ invaſiones, & rapinæ, Judicum item in ſententiis ferendis iniquitas compreſſa. Ex legum præſcripto ſervebant ubivis præſertim in limitaneis arcibus inſtaurandis muniendisve operæ, in quibus miles Patrius Prælatorum, Procerum, Nobiliumve Regni ære alitus excubabat, ad frenum quotidianis Turcarum excurſionibus injiciendum. Atque his mediis & communi totius Regni & privatæ ſingulorum ſecuritati ſalutique proſpectum fuit.

Quæ gentis querimoniæ?

XII. Quanquam hæc omnia ad patriæ utilitatem a Cæſare acta ſint, non poterat tamen ſuorum ille invidiam evitare: querimonias id temporis jactatas vel ea de cauſa hic enumerandas cenſui, quod fere eædem ſemper deinceps repetitæ ſint. Ægre ferebant Ordines Regni, præter annuum duorum florenorum penſum a portis ſingu-

lis

MAXIMILIANUS.

lis exactum, cogi ſe inſuper toto pacis tempore ad equites peditesve ſuismet ſumtibus alendos. Præter plures alias gentis immunitates per Cæſarem abolitas, aut ad modum reſtrictas, vetitum eſſe Regnicolis, vina ſua etiam propriis in ædibus venumdare, niſi perſolutis prius Quæſtori Regio a Vaſe ſex florenis Hungaricis, ampliſſima extinctarum familiarum aut ob infidelitatis notam amiſſa, & ad manus Regias, ut ajunt, devoluta bona A) ærario Regio nullo diſcrimine addici, neque jam more inſtitutoque veteri Viris de Principe ſuo, & Patria præclare meritis conferri. Non modo Palatini dignitatem oblivioni jam prope datam eſſe, verum etiam ceterorum Regni Baronatuum honores, quam longiſſime differri: nec abſimiliter dignitates Eccleſiaſticas alieniſſimo illo Religioni Catholicæ tempore, quo diutius eorum fructibus Fiſcus uteretur, diu admodum vacare, quin etiam

A) Erant hæ numero LXVII. quas una cum æſtimatione ea ætate facta enumeratas videre potes in Epitome Eruditiſſimi Timonis ad An. MDLXIX.

MAXIMILIANUS.

etiam pingviora Sacerdotia exteris & procul ab Hungaria degentibus conferri: quo quidem omnium maxime petebatur Zacharias Delfinus Patricius Venetus, nec ſatis a moribus Prælato dignis apud Hungaros commendatus, quem nihilominus Cæſar Jaurinenſi Epiſcopatu donaverat, quo niſi privaretur; decimas ſe illi negaturos comminati ſunt. Dolebat etiam Hungaris Maximilianum fere ſemper a Regni Comitiis abeſſe, ejusque vices aut Carolum Archiducem Fratrem, aut Rudolphum filium obire, per quos, quod poteſtate carerent, nil decidi poterat. Omnium autem maxime exaggerabant, Regni negotia per exteros tractari, mandata Regia, præterita Cancellaria Hungarica, nec idiomate, nec forma uſitata per alia Dicaſteria, ac nominatim per Senatum Bellicum expediri: hujus Jurisdictioni res Civiles non minus, quam militares in Hungaria ſubjici, eoque jam deventum; ut Belliduces, Tribuni, aliive præfecti militares cauſas Civiles ad ſe attrahere, litesque de bonis exortas auctoritate ac ſententia ſua dirimere in more habeant.

Deni-

XIMI- Denique a Milite ſtipendiario ſive in præſi-
NUS. diis ſive in pagis & oppidis per hiberna distributo, qui Civibus ſecuritatem præſtare deberet, incolas miſerum in modum exagitari; omnique injuriarum genere affici. Hæc fere ſumma capita ſunt earum, quas Hungari variis in Comitiis, & voce & ſcripto Cæſari expoſuere, levamen aliquod poſtulantes: quæ apud Illvanfium, Wolfgangum Bethlenium, ac omnium clariſſime in Comitiorum Decretis explicata reperias. Maximilianus cognitis ſuorum querelis, aliquid ægris concedendum ratus, nonnulla, quæ acerbius accipi ſenſerat, antiquavit; alia autem, ut ſtipendia in copias exteras, ac militis Hungari a nobilibus alendi onus ob Turcarum in viſceribus Regni hærentium incurſiones citra commune totius patriæ & privatum ſingulorum diſcrimen penitus tolli non poſſe excuſavit: quanquam & in hoc imminuto aliquantum militis numero Hungaris gratificatus eſt, qua facilitate Rudolpho filio, quem An. MDLXXII. die XXV. Septembris Hungariæ Regem inaugurari

pro-

[redacted]

procurarat, gentis univerſæ animos non mediocriter conciliavit.

Qua laude vixit Maximilianus?

XIII. His curis defunctus Maximilianus in id incubuit, ut imprimis a Bohemis; tum vero ab Imperii Germanici Ordinibus Primogenitum ſuum Rudolphum, Romanorum Regem eligi impetraret, quem etiam An. MDLXXV. die XXII. Septembris Pragæ Bohemiæ Regem, ac menſis inſequentis die XXVII. Romanorum Regem electum; Calendis autem Novembris inauguratum vidit Ratisbonæ, ubi altero mox anno MDLXXVI. in exitu Imperii Comitiorum, cum Decreta publice in filii Rudolphi præſentia prælegentur, nephriticis doloribus conſumtus obiit die XII. Octobris, anno ætatis undequinquageſimo, menſe altero, die X. ipſo nominis ſui ſolenni die, Regni Hungarici Anno XIII. Plurium ex Conjuge Maria Caroli V. Cæſaris filia Liberorum Pater A): ſed quorum nemo miro divi-

A) Superſtites reliquit liberos: Rudolphum Imp. Regem Hung. Boh. Erneſtum Archiducem, Mathiam Im-

MAXIMILIANUS.

divinæ providentiæ Conſilio Auguſtam familiam Auſtriacam propagavit. Corpus Pragam deportatum in æde urbis principe collocatum fuit. Præmaturum Maximiliani obitum deflevere boni omnes: nam cum Parentis ſui virtutes feliciter æmulatus ſuismet propriis cumularit, a ſubditis populis non timebatur modo, verum etiam diligebatur impenſius. Ad conciliandos ſuorum animos, præter ſingularem in ſummo illo faſtigio comitatem & facilitatem, plurimum faciebat, quod cum quibusvis ſubditis populis proprio loqueretur idiomate; nam præter Latinum, Teutonicum, Hiſpanicum, Italicum, Gallicum, etiam Hungaricum & Bohemicum egregie callebat. Religionem Romano Catholicam difficillimis illis temporibus, non ut multorum ferebant vota, ſed qua licuit, tutatus eſt, id quod

Imperat. Reg. Hung. Boh. Maximilianum M. O. Equit. Teuto. Magiſtrum. Albertum Belgii Gubernatorem. Filias: Annam Philippo II. Hiſp. Regi, Eliſabetham Carolo IX. Galliarum Regi nuptui traditas, & Margaritam S. Monialem.

MAXIMILIANUS.

quod ei cum apud alios, tum vero apud Romanum Pontificem non levem invidiam conflarat; Literas amavit impenſius; literatos autem, quos frequentes in aula habuit, munifice fovit: atque hi Maximiliani nomen ſuis in operibus, quæ eidem inſcribebant, immortalitati conſecrarunt.

RUDOLPHUS
REX XLI. ROM. IMP.
A. C. MDLXXVI.

RUDOLPHUS.

I.

Qui conſtituta initio res Hungarica?

Rudolphus a morte patris Maximiliani Regnum Hungariæ, Bohemiæ, ac Imperii Romani dignitatem conſecutus, ubi primum Ratisbonæ, ac ſubinde Pragæ juſta funebria Parenti optimo perſolviſſet, Viennam reverſus, in id ſibi ante omnia incumbendum putavit, ut Regnum Hungariæ adverſus Turcarum impetus omni ex parte communiret. Quoniam autem jam inde a puero literarum potius ſtudiis, quam

 mili-

RUDOLPHUS.

militaribus diſciplinis aſſuefactus, illa potius, ac præſertim ſublimiorem Aſtronomiam adamarat, quo liberius huic vacare poſſet; Hungariam, quæ omnium maxime ejus otia turbatura videbatur, ſapienter, mox principio ordinare, ejusque gubernationem cum Erneſto Fratre, ac Carolo Avunculo ſuo partiri in votis habuit. Itaque ceterarum provinciarum negotiis optime diſpoſitis, in Calendas Februarias A. MDLXXVIII. Comitia Poſonium evocavit. In his neceſſariæ in uſus belli ſubſidia perquam liberaliter conſtituta: ad communiendas Turcis viciniores arces operæ deſtinatæ, priora decreta præſertim de facienda militia confirmata. Denique id Cæſari ad otia literaria aſpiranti conceſſum, ut ejus abſentis vices in bellicis negotiis obire poſſent Erneſtus & Carolus Archiduces: ac illum quidem in Hungaria rei militari A) ampla cum poteſtate

A) Ordines Hungariæ tum quidem non niſi rei militaris præfecturam Erneſto Archiduci commiſſam voluere; at cum Cæſar, inſuper habitis Hungarorum ad inviſendam Hungariam ſingulis dietis invitan-

[redacted]

ſtate Vicarium ſuum conſtituit Rudolphus; Caroli autem fidei Illyricum totum credidit. Atque huic ſuam debet originem Carolo-ſtadium celebre ad Dobram, Mresniciam, & Colapim amnes An. MDLXXIX excitatum munimentum, prohibendis Turcarum incurſionibus peropportunum. Provide ſane tum belli curas complexus erat Cæſar: nam etſi induciarum, quas Maximilianus cum Amurathe pepigerat, tempus nondum effluxerat, non ceſſabant tamen Turcæ ſuis ex arcibus viciniam laceſſere, ſæpius ea propter ab excubante Hungaro mi- RUDOLPHUS.

vitantium precibus, Pragæ affixus remaneret, Civilia etiam negotia in Erneſtum translata ſunt, ut patet ex Comitiorum An. MDLXXXVIII. Articulo I. Erneſto ad Belgii gubernationem translato, Mathias Archidux An. MDXCIII. ſucceſſit, Vicariamque Cæſari in Hungaria ad annum usque MDCVIII. navavit operam, quo tempore quantum Hungaris probatus ſit, vel inde intelligitur, quod An. MDC. Ordines Regni publicas ea propter Rudolpho Cæſari gratias egerint, quas quarto poſt anno exquiſitis ſane verborum formulis iterarunt, ut videre eſt in Comitiorum Decretis.

RUDOLPHUS.

lite male mulctati: quæ clades per ſuos hoſtibus illatæ ne bellum excitarent, Cæſar miſſo Bizantium cum conſuetis muneribus Legato juſtam defenſionem excuſari, culpamque in Turcicos præfectos rejici juſſit. Et vero adeo æquus tum erat Amurathes, ut accuſationis veritate comperta, ſevere ſuis populationes exercere interdixerit, ac una novennales An. MDLXXXIV. inducias conceſſerit, ſed eadem, qua prius Religione a Turcis obſervandas: quanquam non parum eo contulit, ut facilem ſe Chriſtianis tum præberet Amurathes, quod Bello Perſico preſſus, nollet Cæſaris vires eodem tempore in ſe concitare.

Unde ortum bellum Turcicum?

II. Hæc inter Sinanes Vezirius a confecto bello Perſico adhuc ferociens, ac de Hungariæ ruinis ſecuriorem ſibi gloriæ meſſem quærens, Amurathem ad rumpendas inducias ſtimulare non deſinebat. Sed cum illum in data fide ſervanda firmum animadvertiſſet, ad fraudes converſus, inſigni dolo voti demum compos effectus fuit. Datis clam ad Bosniæ, aliarumve ditionum Præfectos

[redacted]

RUDOLPHUS.

ſectos literis, monuit, libere ut in Chriſtianorum limites graſſarentur, atque ſi hi vim vi repellere tentarent, continuo querelas Bizantium expedirent, inducias ab Hungaris impune violari. Ceſſit res ex ſententia: Haſſenes Bosniæ Præfectus ſuapte jam ad inferenda Chriſtianis damna propenſus, ac inſuper Vezirii auctoritate fretus, jam inde ab An. MDXC. quotidianis incurſionibus Illyricum omne laceſſebat, cujus exemplum mox alii ſecuti, nil tutum in Hungaria relinquebant. Hungari quotidianas eas injurias minime ferendas rati, juſta ad ſuam rerumque ſuarum defenſionem arma corripuere eo ſucceſſu; ut Turcæ non uno loco inſigni clade affecti fuerint. Nec mora, ut conſtitutum, querelæ Bizantium deferuntur; quibus cum Amurathes a Sinane inductus fidem haberet, clam in ſenatu interiore, quem *Divanum* apellant, bellum in Hungaros decernitur Sinanis arbitrio gerendum. Ferocem Vezirii animum non leviter irritarunt lætiores Chriſtianorum ſucceſſus: ſic ut alia ſilentio prætercam Ann. MDCXIII. Idem ille Haſſanes Bosniæ Præ-

[redacted]

RUDOLPHUS.

fectus Siſciam obſidens a Petro Erdődi Illyrici Bano & Comite Eckenbergio juſto prælio victus, amiſſis ſuorum duodecim millibus aquis hauſtus occubuit. Præterea Maximilianus Archidux Cæſaris germanus, qui, poſt Caroli Avunculi An. MDXC. die X. Julii e vivis ſublati obitum, rem bellicam in Illyrico procurabat, Berſenſam, Seguſium, Babotſiam, Siſciam, ac denique A. MDXCIV. Petriniam occupaverat, multasque Turcis ſeu per ſe, ſeu per ſuos clades intulerat. A) His itaque Chriſtianorum ſucceſſi-

A) Amicitia, quæ mihi cum Excellentiſſimo ac Doctiſſimo S. R. I. Comite Rudolpho Coronini a Cronberg intercedit, me admonet, ut hic loci Joannis Baptiſtæ C. Coronini mentionem faciam, qui toto eo bello Maximiliani Archiducis auſpiciis in Croatia geſto præclaris facinoribus nomen ſuum immortalitati conſecravit. Ut taceam plurima alia, quæ ipſe cum delecta militum manu variis locis præſtitit, unicum poſterorum memoria digniſſimum ejus facinus commemorabo. Expugnata Petrinia, cum copias Chriſtianas receſſiſſe animadvertiſſet Erdeogles Begus, in Cæſaris ditiones irruens, ferro & igne cuncta devaſtabat; Maximilianus ferocienti hoſti C. Co-

ceſſibus concitatus Amurathes, aperte jam Rudolpho An. MDXCIII. bellum denunciavit. Sinanes Vezirius fraudis ſucceſſu lætus, anno inſequente MDXCIV. cum centum quinquaginta millium exercitu in Hungariæ viſcera illapſus, Jaurinum circumvallavit, ac poſt brevem oppugnationem Ferdinandi Hardeccii & Perlini Præfectorum ignavia Chriſtianis eripuit; hi enim RUDOLPHUS.

 turpi

C. Coroninum obviam ire jubet: hic etſi numero inferior. prælium intrepide init, virtutisque ac gloriæ ſtudio accenſus, pugnandum inter magna quaquaverſum edita cæde, ad ipſum usque Erdeoglem penetrat, necquidquam ſeſe defendentem equo dejicit, humique proſtratum ſuamet manu comprehendit, ac in victoriæ teſtem Maximiliano captivum adducit. Delectatus ea adoleſcentis fortitudine Archidux, datis ad Cæſarem, & ad Ferdinandum Caroli demortui filium Stiriæ Dominum literis Heroicum Coronini facinus multis collaudavit; Erdeoglem vero captivum Poſonium transmiſit, ubi etiam in Carceris ſquallore extinctus, illatarum Chriſtianis injuriarum pœnas dedit. Hæc ex coæva narratione quam nobiſcum communicavit Excell. C. Cronbergius datis ad nos die 26. Octobris anno ſuperiore literis, cujus humanitati, ac ad hiſtoriam Hungariæ illuſtrandam ſtudio hanc qualemcunque vicem reddimus.

RUDOLPHUS.

turpi metu correpti, integris adhuc mœnibus XXIX. Septembris ultro deditionem fecere, uterque eapropter die dicta, Senatus bellici ſententia damnati ſecurique percuſſi Viennæ die V. Junii An. MDXCV. Sed jacturam hanc ſane quam acerbam quadriennio poſt reſarſit inſignis virtus Principis Schvartzenburgici & Nicolai Comitis Palfi, qui præclaro ſtratagemate uſi, nocte concubia ad urbis usque portam inobſervati penetraverant, qua ſubinde petardæ vi in auras ejecta, patefacto aditu, urbem ingreſſi poſt atrox diuturnumque certamen trucidatis ad unum Turcis, opportuniſſimo eo loco non ſine immortali ad poſteros nominis ſui gloria die XXIX. Martii ſunt potiti. A) Sed hæc ſerius evenere. Sinanes

A) Cum eodem prorſus An. MDXCVIII. nonnemo ſive Palfiano, ſive totius gentis Nomini infenſus recuperati Jaurini Hiſtoriam ita divulgaſſet, ut Clariſſimum Virum Nicolaum Palfium a gloriæ communione excluſerit, ceu hominem, qui nil omnino ad eam victoriam contuliſſet; Princeps Schvarcenburgicus illatam fortiſſimo viro Collegæ ſuo injuriam

[redacted]

nes interea Jaurini acceſſione ad audenda plura provocatus Comaromio ſuas admovit copias, verum a Præſidiario milite ſæpius cum clade rejectus, cum præterea Mathiam Archiducem ad obſeſſis ſuccurrendum juſto cum exercitu propediem adfuturum accepiſſet, ne partam ante laudem diſcrimini exponeret, ſine mora obſidionem ſolvit, nullaque præterea rē præclare geſta, fugienti ſimilior Bizantium remeavit, anno inſequente triplici prælio in Tranſalpinis a Sigis- RUDOLPHUS.

riam minime ferendam ratus, ſine mora concinnatam a ſe ejus expeditionis Hiſtoriam Viennenſibus Typis in lucem dedit, in qua commemorata C. Palfii fortitudine, impactam ab invidis calumniam egregie confutavit. Atque hæc Jaurini expugnatio, aliaque pluribus bellis edita facinora Ordines Regni permovere, ut An. MDXCIX. in Comitiis congregati unanimi voce Rudolphum Cæſarem interpellarint Articulo XLVIII. ut meritiſſimo de patria Viro Nicolao Palfi ejusdemque hæredibus ſexus virilis cum titulo Comitis Perpetui Arcem Poſonienſem cum bonis eo ſpectantibus conferre velit; id quod etiam Cæſar & libenter & quam cumulatiſſime præſtitit. Facinora porro C. Nicolai Palfi lege in Rubricis Jur. Hung. ad Artic. 7. An. MDXCVII.

RUDOLPHUS.

Sigiſmundo Bathori Transſilvaniæ Principe vincendus, ac idcirco e caſtris domum non ſine ignominia revocandus.

Quis Hungarorum in Bellum apparatus?

III. Toto eo bello, quod ſane diuturnum fuit, Chriſtiani haud inimicam habuere fortunam, quod & copiarum numero & ducum virtute Turcas multum antecellebant: ut adeo minime dubitandum ſit Ottomannos eo bello e dominatu Hungariæ ejiciendos fuiſſe, niſi diſſidia Mathiam inter Archiducem & Rudolphum Cæſarem ſubinde exorta, ſeceſſioque Botskajana ſpes optimas corrupiſſent. Ubi primum Cæſar de Bizantinæ aulæ Conſiliis edoctus fuit, continuo ad diem XXV. Januarii An. MDXCIII. Ordines Hungariæ Poſonium evocavit, Præſide Mathia Archiduce de apparando tempeſtive bello deliberaturos. Decreti hic fuere in uſus bellicos tres floreni Oſtiarii, eorundemque colligendorum ratio præſcripta, ne ut ſæpe antea factum, potior ejus ſubſidii pars ab exactoribus abligurriretur: quia vero ii, qui ex præſcripto legum continuos milites ſumtu ſuo alere obſtrin-

[redacted]

ſtringebantur, paulo negligentius id præſtabant, pœna duplicis dictata. Hæc cum Cæſari tanto hoſti debellando minime ſuffectura viderentur, rurſus An. MDXCV. ad X. diem Januarii Comitia Poſonium indixit, Hungarosque veteris virtutis Bellicæ commonefactos ad paulo majora aggredienda excitavit. Ordines Regni opere teſtaturi, quanti eam Cæſaris admonitionem facerent, quantave in patriam e ſervitute vindicandam flagrarent caritate, præter plurima alia ad expeditionem militarem neceſſaria provide ſapienterque conſtituta, ſanxere imprimis novem florenos a ſingulis portis per Colonos ſolvendos, tum vero ſeorſim Prælatorum, Baronum, Nobiliumque Ordo ſemet obſtrinxit, ad ſingulos ſex florenos pro portarum numero *ex propria*, ut conſtitutiones ajunt, *Crumena ſub pœna tripli* dependendos, quod ſubſidium patriæ amore oblatum anno inſequente ad novem usque florenos extenſum fuit A): quo tempore nobi-

RUDOLPHUS.

A) Decret. VI. Artic. 3. Decret. VII. Artic. 5. & 6.

RUDOLPHUS.

nobilitas inſuper curas ſuas ad ſaucios ægrosque porrexit, decretis ad eos juvandos ex ære ſuo pro ſingulis portis decem nummis Hungaricis. Contributio hæc ſane quam liberalis & præter moram a nobilitate oblata, ne deinceps in conſuetudinem abiret, nominatim cautum fuit; eo tamen fuere in commune bonum ſtudio, ut toto eo bello durante, pro ſumtuum neceſſitate, facultatumve ſuarum ratione annis ſingulis voluntaria Rudolpho ſtipendia dependerint A). Quia vero jam tum animadverſum fuit, plurimos ex Hungaris deſerta turpiter patria, ad exteros Principes commigrare, illicque non inutilem bello navare operam, quo deteſtando huic malo medela afferretur, in emigrantes Nobiles bonorum publicatio; in ignobiles autem pœna mortis con-

A) Cum majore copiarum numero opus videretur An. MDXCVII. ita conſtitutum fuit, ut pecuniarii ſubſidii loco, a ſingulis decem portis terni equites totidemque pedites armis probe inſtructi in caſtra mitterentur: quorum pars dimidia Dominorum terreſtrium; pars colonorum ſtipendiis aleretur, ut habetur Decret. VIII. Artic. 2. 3. 4.

[redacted]

conſtituta: apud ſolum Romanum Pontificem Hungaris ſtipendia mereri permiſſum, quod is ære militeque Hungariam adjutum ibat A). Atque hæc de Hungarorum ad bellum Turcicum apparatu e Conſtitutionibus Regni deprompta compendio hic præmittenda putavi, ut intelligeremus, quantis curis, laboribus, ſumtibusve ſteterit Majoribus noſtris & communis afflictiſſimæ tum Patriæ, & propria ſingulorum domi ſecuritas, hoſte in viſceribus hærente. Quodſi autem contributionis ſive a plebe, ſive a nobilitate iis temporibus ultro oblatæ calculum inire placet, manifeſtum eſt, ingentem æris vim ærario publico illatam fuiſſe: numerus porro Hungari militis publicis Regni ſtipendiis aliti, novique identidem ſupplementis refecti quadraginta millia armatorum excedebat, non connumeratis Illyrici copiis ad tuendos ſuos limites deſtinatis. Quibus acceſſere ceterarum provinciarum Auſtriacarum copiæ, & non contemnenda ex Imperio Romano ſubſidia. His

RUDOLPHUS.

A) Decret. VI. Art. 33. Decret. VII. Art. 22.

RUDOLPHUS.

His omnibus ſumma cum poteſtate Mathias & Maximilianus Archiduces fratres præpoſiti, quibus etiam iſta belli gerendi adminiſtratio commiſſa fuit. Inter eos porro ita convenerat, ut diviſis bifariam exercitibus rem in Hungaria agerent, Mathias Archidux ad Danubium: ad Tibiſcum Maximilianus. Hic cum eſſet belli in Hungaria apparatus ſumma bonos omnes melioris fortunæ ſpes incenderat, quæ non mediocriter crevit ob fœdus, quod Rudolphus Cæſar cum Sigismundo Báthori Transſilvaniæ Principe inierat Ann. MDXCIV. cui Moldaviæ, Walachiæque Wayvodæ ultro acceſſere. Cujus fœderis, quod ad præſens Bellum attinet, præcipuum caput fuit, ne alter ſine altero de pace cum hoſte convenirent.

Quis Belli ſucceſſus?

IV. Itaque expectationi, quam Cæſar de Ducum militumve virtute conceperat, eventus utcunque reſpondit, ac ad Danubium quidem: præter minores victorias de hoſte reportatas arcesque receptas; Strigonium cæſis ſemel ac iterum, qui obſeſſis auxilio

vene-

venerant Turcis An. MDXCV. a Mathia RUDOL-
expugnatum, Jaurinum, ut ſuperius memi- PHUS.
nimus, Principis Schvarzenburgici, & Nicolai Palfi virtute An. MDXCVIII. receptum. Alba Regalis profligato ante ingenti cum cæde Vezirio Ann. MDCI. capta. Ante omnia porro Mathias Budæ recuperandæ deſiderio flagrabat; at enim binis vicibus in caſſum oppugnata conatus Chriſtianorum eluſit. Non inferior fratre ſuo Maximilianus Archidux Turcis ad Tibiſcum fræno fuit. Agria quidem a Mahomete Turcarum Imperatore exteri præſidiarii militis proditione, Paulo Nyari loci præfecto fruſtra flexis genibus dehortante, An. MDXCVI. die XIV. Octobris occupata fuerat, ne tamen id Turcis impune abiret, Maximilianus Sigismundi Bathori copiis auctus, XII. poſt die cum Mahomete ad Kereſzteſſum acerrimo prælio conflixit, hoſtesque non ſine XX. millium cæde loco movit: quanquam autem inſignem ejus diei victoriam militum ad diripienda caſtra Turcica delapſorum avaritia corruperit,

RUDOLPHUS.

a), Mehemetes tamen fugienti ſimilis Bizantium remeavit, neque unquam in Hungariam rediit. Nil univerſim toto eo bello deinceps a Turcis memorabile actum, non prius tamen; quam An. MDCVI. quo Botskajanum incendium una reſtinctum fuit, pax coaluit, annos XV. ſtabilita, ac An. MDCVIII. a Mathia jam tum Hungariæ Rege confirmata. Toto eo bello inclaruere e Ducibus exteris Philippus Emanuel Dux Mercurianus e Lotharingiæ Ducum ſtirpe ortus, Carolus Princeps Mansfeldius, Chriſtophorus B. Teuffenbachius, Princeps Adolphus Schvartzenburgicus; ex Hungaris vero Petrus & Thomas Erdődy, Georgius Zrini, Nicolaus Palfi, Franciſcus Nadasdi & Georgius Thurzo.

Quæ occaſio fœderis Tranſſilvanici?

V. Iisdem prope temporibus curas Rudolphi Cæſaris non mediocriter exercebant res Tranſſilvanicæ. Nunquam hujus provinciæ una cum adſitis Walachia & Moldavia

a) De prælio hoc lege literas Sebaſtiani Tőkőli Analector Scepuſii Sac. & Prof. Tom. I. pag. 31.

via e Turcarum manibus vindicandæ, ac S. Coronæ Hungariæ poſtliminio reſtituendæ lætior affulſerat opportunitas ; cum ſubito unde minime timeri debebat, coorta tempeſtate, ſpes Cæſaris bonorumque omnium afflictæ ſunt : juvat rem paulo altius repetere. Stephanus Bathori de Somlyo ad ſolium Polonicum An. MDLXXVI. evectus, Transſilvaniam Fratri ſuo Chriſtophoro Báthori vicaria poteſtate gubernandam reliquerat; hic ut Transſilvaniæ poſſeſſionem familiæ ſuæ aſſereret, celebratis An. MDLXXXI. Comitiis facile ab Ordinibus Regni impetravit, ut unanimi ſuffragio filius ſuus Sigismundus VIII. tum annos natus Succeſſor deligeretur, id quod interpoſita jurisjurandi Religione ſancitum fuit. Itaque Chriſtophoro eodem adhuc anno vita functo, Sigismundus Transſilvanis imperare cepit; quia vero per ætatem Regendo adhuc impar erat, Stephanus Rex Poloniæ Tutorem ei dedit Joannem Geczi, qui Gubernatoris nomine pluribus annis Rempublicam Transſilvanicam non ſine inſigni prudentiæ juſtitiæque laude pro pupil-

RUDOLPHUS.

RUDOLPHUS.

lo adminiſtravit. Elapſis ab eo tempore ſumma in pace pluribus annis; poſtquam Sigismundus ad ætatem Regno maturam pervenit, ut erat a puero Chriſtianis placitis optime inſtitutus Princeps, cepit Ottomanicæ gentis clientelam faſtidire, ac ad ineundam cum Rudolpho Cæſare unionem aſpirare: Conſilium hoc rebus his conſtabiliendis non opportuniſſimum modo, verum & ſumme neceſſarium videbat, quod jam tum exploratum habebat Stephanum Resvanum Moldaviæ, & Michaelem Battum Tranſalpinæ Valachiæ Wayvodas ſuis cum Provinciis in fidem clientelamque ſuam hæreditario jure conceſſuros, quo ſic unitis viribus ſemet adverſus Turcarum impetum communirent. Quia vero geminæ hæ provinciæ jure veteri ad S. Coronæ Hungaricæ dominatum ſpectabant, ſapienter exiſtimabat Sigismundus ejusdemque amici, pactionem nullam firmam ſtabilemque futuram, niſi Rudolphi Regis, Regnique Hungariæ Ordinum conſenſus acceſſiſſet; quo obtento & geminæ provinciæ acceſſione & ex Hungarorum Societate tantas ſibi vires

affore

affore credebat, ut non modo jam ſuſtinendo, verum etiam inferendo Turcis bello par eſſet. Hæc agitanti conſilia ultimum admovit arietem intoleranda Sinanis Vezirii arrogantia: Is cum alias tum vero An. MDXCIII. quo in Sigismundum eſſet animo, luculenter declaravit: nam cum Georgius Ravasdius legatus annuum Transſilvaniæ cenſum Bizantium attuliſſet, ac una, ne durius porro tributum provinciæ imponeretur, deprecatus fuiſſet; Sinanes odio abreptus Sigismundum Imperatoris ſui ſervum ac mancipium, brevique una cum provincialibus in duriſſimam ſervitutem redigendum eſſe illoto prorſus ore effutiverat. Inhumanæ huic denunciationi acceſſere mandata ſane quam difficillima, quæ ad Sigismundum perferenda curaverat, cetera inter, ut ſibi proximo vere ad Hungariam debellendam proficiſcenti, honoris & officii cauſa Belgradum usque occurreret, ad hæc imperabat, ut L. millia haſtarum XL. cubitos longarum, totidem operarum cum dolabris & ligonibus millia, ac denique vis immenſa cujusvis generis frugum ad Danu-

RUDOLPHUS.

RUDOLPHUS.

bium præmitteretur. Id genus mandatis Sigismundus & dignitatem ſuam & Regni ab ejusmodi oneribus hactenus liberi immunitatem violari ægre ferens, acerbioraque adhuc mala animo præſagiens, Evocatis Szaſſebeſſum uno milliari Alba diſſitum oppidum Regni Ordinibus, ſuam de excutiendo Turcarum jugo, ineundaque cum Rudolpho Cæſare ac ceteris Chriſtianis belli pacisque ſocietate mentem aperit. Sapiens piumque Conſilium non pauci probavere, quod Turcas potentiores, quam fideliores ſocios, ad eum diem experti erant. At enim multo plures in Ottomanica perſtandum cenſuere clientela, propterea quod non ſatis virium adeſſe putarent Rudolpho ad defendendam contra totius Orientis vires Transſilvaniam, quod ſi autem bello ſuccumberent, quid niſi atrociſſimam mortem? aut hac ipſa duriorem ſervitutem toti genti ab irritatis Turcis expectandam? nec deerant, qui privata cupiditate ac ambitione impellente optatum illud fœdus averſabantur, quod nollent aut Bathoriam ſtirpem in principatu firmari; aut cum Hungaris

ſub

ſub eodem Capite in unum coaleſcere. Sigismundus opinione ſua ſe deluſum videns, ſeditionemque veritus, Albam Juliam ſe recepit, juſſis ad certum diem rurſus Tordam convenire Ordinibus, de re tanti momenti uberius deliberaturis. Adſuere illi quidem; at tantum abeſt; ut ad fœdus illud probandum adjicerent animum; ut etiam non deſſent, qui Sigismundo ea propter exautorato alium ſufficiendum contenderent: Sigismundus interea lectiſſimis fidiſſimisque inſtructus copiis, ac ad vim, ſi ea ſibi afferretur, repellendam comparatus, Claudiopolim Comitia tranſtulit. Illic diſſimulato, quod contra factionis ſibi adverſæ primores conceperat odio, comiter habitis proceribus per Volfgangum Kovacsoczium Cancellarium edici jubet, fixum firmumque ſibi eſſe a Turcarum clientela ad Rudolphum Cæſarem tranſire: nec mora, omnes metu quodam perculſi Principis voluntati aſſenſere, tragœdiæ, quæ altero die producenda erat, ignari. Cum enim officii cauſa magno numero ad Principis palatium die XXIX. mane confluxiſſent, ſigno da- RUDOLPHUS.

RUDOLPHUS,

to XIII. e præcipuis viris per milites comprehenſi, ac in carcerem conjecti ſunt; triduo poſt indicta necis cauſa, nulloque dato reſpondendi ſpatio, e Stephani Botskai conſilio capitale de iis ſupplicium ſumi juſſum, bonis theſaurisque eorum Fiſco addictis A). Multis ea ſeveritas improbata eſt, non modo ob non ſervatum Juſtitiæ ordinem; verum etiam, quod nec Patruo quidem Balthaſari de Báthor, ejusdemque Vitrico Joanni Iffiu Sigismundus parcitum voluerit. Prævalente poſtea Principis

A) Alexander & Gabriel Kendy, Joannes Iffiu, Gregorius Deak, Joannes Forro, in foro urbis Claudiopolitanæ obtruncati ſunt. Balthaſſar Báthori cum Volfgango Kovacsoczi Cancellario Vivarium deducti laqueo in collum injecto ſtrangulati ſunt, Bathorio cum lictoribus diu necquidquam colluctante: eodem mortis genere Franciſcus Kendy & Joannes Bornemiſza in arce Gyalu ſunt enecti. Joannes Gerendi, Albertus Lónyai, Georgius Szalánczi, & Balthaſar Szilváſi interventu amicorum vita quidem donati, ſed bonis omnibus amiſſis ſolum vertere coacti ſunt. Tragædia hæc peracta fuit Ann. MDXCIV.

RUDOLPHUS.

cipis factione funeſta illa tot Illuſtrium Virorum cædes Comitiorum Decreto jure ac e Republica facta fuiſſe pronunciata eſt, quod Sigismundus habita concione ad Patres, illos ſibi mortem machinatos ejusdemque criminis teſtes literas apud ſe exſtare aſſeruiſſet.

Quibus pactis fœdus initum?

VI. Compreſſa hunc in modum ſeditione, cum nemo jam eſſet, qui Principis voluntati intercedere auderet, Stephanus Bocskajus cum Alphonſo Carillio Principis Confeſſario natione Hiſpano, Gregorio Csáky de Kereſztſzeg, & Joanne Syvegh, ad Rudolphum Orator miſſus fuit An. MDXCIV. optatumque fœdus ſequentibus ſtabilivit conditionibus: Romani Imperii Principis titulus & aurei velleris honor daretur Sigismundo: Tranſilvaniam cum Hungariæ parte poſſideret: in Valachiam & Moldaviam jus obtineret, liceretque illi geminas eas Provincias Tranſilvaniæ conjungere: hæc omnia ad legitimos ejus maſculos hæredes tranſirent, qui quidem omnes Regem Rudolphum, ejusque in Regno Hungarico

RUDOLPHUS.

ſucceſſores, pro ſuis legitimis Regibus agnoſcant, eis fidelitatis juramentum in ipſo principatus aditu præſtent, ad Sigismundi exemplum, qui ſine mora id nuncupare teneatur. Deficiente autem Sigismundi ſtirpe virili; Transſilvania eidemque adnexæ ditiones omnes *non in alterius*, ut pacta loquuntur, *quam in Rudolphi ejusque ſucceſſorum Hungariæ Regum ditionem & poteſtatem, tanquam verum & inſeparabile membrum absque ulla controverſia pervenire debeat, & ſuper hoc ipſe Princeps ſe ſuosque Ordines & omnes ſuæ ditionis Status juramento fidei obſtringat.* Quodſi hæc caſu Transſilvania ad Rudolphum rediret, jura gentis ſalva manerent, cui Gubernatorem aut Wayvodam Transſilvanum nihilominus præficere Rex teneatur. Quod ſi Turcæ bellum obmoverent; Cæſar Sigismundum pro viribus tueretur: quod communibus auſpiciis e ditionibus Hungaricis recuperaſſent, ad Hungaros rediret: quod ipſe bello paceve recuperaſſet, id ſibi retineret feudi nomine poſſidendum: ſi principatu quacunque ratione

[redacted]

tione dejici illum contingeret, Cæſar de vitæ cum dignitate traducendæ mediis proſpiceret A). His roboris inſtar acceſſit ſponſio nuptiarum Sigismundum inter & Mariam Chriſtiernam ſeu Chriſtinam Caroli Archiducis Styriæ imperantis filiam, ſororemque Ferdinandi hujus nominis II. Regis Hung. Rom. Imperatoris B). Quoniam autem metus erat, ne Regni Hungariæ Ordines ad limites juraque S. Coronæ tuenda vigiles pactionibus his, ac nominatim Valachiæ & Moldaviæ ſeparationi ſe opponerent; provide impetratum fuit, ut An.

MDXCV.

A) Hæc ſumma fuit XII. capitum, de quibus inter Sigismundi Oratores; & Cæſaris Conſiliarios convenerat, fuere porro hi: Joannes Kutaſſi Epiſc. Jaurinenſis Aulæ Cancellarius, Stephanus Szuhai Epiſcop. Vacienſis. Thomas Erdődi Dalmatiæ Croatiæ & Sclavoniæ Banus. Nicolaus Palfi Arcis Poſon. Capitaneus, Simon Forgáts de Ghymes Pincernarum Reg. Mag. Joannes Jóo de Kaſzaháza, Perſonalis Præſentiæ Reg. in Judiciis Locumtenenſ. Confectum porro fuit inſtrumentum præſentibus exterorum Principum Oratoribus Pragæ XXVIII. Januarii An. MDXCV.

B) Inſpice Tab. Geneal. III.

RUDOLPHUS.

MDXCV. in Comitiis Poſonienſibus fœderis hujus capita probarentur A). His ex ſententia geſtis Sereniſſima Sponſa ſplendidiſſimo comitatu in Tranſilvaniam deducta, die VI. Auguſti ejusdem anni ex Eccleſiæ Catholicæ ritu Sigismundo de Báthor Tranſilvaniæ & S. R. I. Principi copulata fuit B). Eam Sigismundi cum Rudolpho Cæſare conjunctionem ulturus Sinan Vezirius, maximis cum copiis ad invadendam Tranſilvaniam properabat : quod, ubi nunciatum eſt, nil omnino turbatus Sigismundus, quod haud ita pridem Moldaviam & Walachiam per ſolennia pacta c) in clientelam ſuſceperat,

A) Pacta hæc nonnullis adjectis rata habuere Hungari Decreto VI. Artic. LVI. quæ omnia Rudolphus calculo ſuo demum probavit Pragæ XIV. Martii An. MDXCV.

B) Conſule Iſtvanfium, Wolfg. Bethlen, & paſſim alios.

c) Pactorum quibus ſe Michael Tranſalpinæ Wayvoda Sigismundo ejusque hæredibus obſtrinxerat, Tabulæ ſignatæ ſunt utrinque Albæ Juliæ die XX. Maji An. MDXCV. quas nuper vulgavit Eruditiſſimus ſcriptor Pray in *Diſſertationibus Hiſtorico-Criticis* Pag. 152.

RUDOLPHUS.

perat, fidelitatisque juramentum ab eorum Wayvodis & Primoribus exegerat, juſtum ſuorum exercitum in Valachiam traducit, hoſtique intrepidus occurrit. Et vero juvit audacem fortuna: expugnato Siculorum virtute Buchereſto, certa victoriæ ſpe animatum militem prælium inire jubet, quod tanta fortitudine & conſtantia geſtum eſt, ut immenſus ille Turcarum exercitus ingenti cum cæde atque ignominia victus profligatusque diſceſſerit. Victoriam hanc Tranſilvanis ſane quam illuſtrem uberrimi fructus conſecuti ſunt: Valachi enim & Moldavi, qui deſertis Turcis in Sigismundi victoris clientelam conceſſerant eo ſucceſſu ad ſervandam in fide promiſſa conſtantiam non mediocriter animati ſunt.

Quibus artibus corrupta?

VII. Glorioſa hæc erant Tranſilvaniæ cum Hungaria conjunctionis initia, quæ ſtabilem Sigismundo ejusdemque poſteritati ſpondere poterant felicitatem: verum ille incredibili prorſus inconſtantia ſua ſpes omnes abrupit, ut mox paucis narraturi ſumus. Vix evoluto a nuptiis anno, incer-

RUDOLPHUS.

certum qua de cauſa nobiliſſimam, cunctis animi & corporis dotibus ornatiſſimam, atque ſui amantiſſimam conjugem Chriſtiernam faſtidire cepit, eousque, ut Tranſilvaniam Rudolpho reſignare, ac ejus loco Oppolienſem in Sileſia Ducatum ſibi depoſcere in animum induxerit: ſeorſim a conjuge vitam acturus. Id quod principio An. MDXCVII. cum Aurei Velleris ſuſcipiendi cauſa Pragam ſe contuliſſet, Cæſari ultro aperuit, ac tanta pertinacia negotium urſit, ut niſi permutatione facta ſibi provincia decedere liceat, cum Polonis, aut Turca ipſo ſe tranſacturum minaretur. Cæſar etſi ignominia agnatæ ſibi mulieri, ac illuſtriori etiam thalamo dignæ, illata gravius commoveretur, ſapienterque una prævideret, Sigismundo e provincia excedente, res illic omnes, ut reipſa factum, turbatum iri, diſſimulato interim dolore Sigismundi poſtulatis ſubſcripſit oblato illi Oppolenienſi Ducatu, adjectoque L. aureorum millium ſtipendio, deditque Maximiliano Archiduci fratri ſuo armorum in ſuperiore Hungaria Præſidi in mandatis, ut

in

RUDOLPHUS.

in Tranſilvaniam ſe conferret, illiusque provinciæ præfecturam tantisper ſuſciperet, quoad ipſe aliud conſtituiſſet. Sigismundus voti compos factus conjuge, totaque Tranſilvania valere juſſa, Oppoliam ineunte vera An. MDXCVIII. iter arripuit. Interea Chriſtierna Maximiliani adventum opperire coacta, cum Legatis Cæſaris in Transſilvania ſubſiſtit. Quo tempore Michael Wayvoda Tranſalpinus amiſſo Principe ſuo Sigismundo, rebus ſuis conſulturus, in Rudolphi Hungariæ Regis clientelam ſe contulit, a) ſolenneque fidelitatis juramentum coram Cæſaris Legatis Stephano Szu-

a) Pactorum hæc ſumma fuere Capita; Michael & ejus hæredes Vajvodatum tenerent, fidelitatis Sacramento Regibus Hungariæ obnoxii, in cujus teſtimonium annis ſingulis munera mitterent. Extincta Michaelis ſtirpe, Regibus Hungariæ lectos a Provincialibus Wayvodas confirmandi jus eſto: Religio utrusque ſalva manerent. Belli tempore Michaeli V. millium virorum ſtipendia annua numerarentur. Hæc aliaque An. MDXCVIII. die IX. Junii Tergoviſtiæ utrinque ſignata ſunt. Tabulas ipſas lege apud Pray loco cit. pag. 155.

RUDOLPHUS.

Szuhaio & Nicolao Iſtvanfio Propalatino nuncupavit. Vehementer ea mutatio diſplicuit Botskajo, qui jam tum ad tyrannidem aſpirabat; quare creberrimis literis & nunciis Sigismundum in Sileſia jam agentem urgere non ceſſabat, ut ad Provinciam rediret. Ille & avunculi hortationibus & ſuopte mobili ingenio morem gerens, relicta Sileſia eodem An. MDXCVIII. die XX. Auguſti in Tranſilvaniam Claudiopolim revertitur, ac ibidem cum conjuge non invita, quæ jam tum convaſatis rebus domum parabat, in gratiam redit; tum qui facti veniam a Cæſare peterent: Demetrium Napragium, & Stephanum Botskajum Legatos Pragam dimittit. Nondum hi placato iterum Rudolpho, Praga reverterant; cum novis rurſum agitatus intemperiis Sigismundus, lectiſſima conjuge per ſummam inhumanitatem Græcium remiſſa, Andream de Báthor Patruum ſuum S. R. E. Cardinalem Varmienſem Epiſcopum e Polonia evocat, eaque lege ſuum conſtituit ſucceſſorem; ut ſibi in Polonia privatam acturo vitam XXIV. aureorum millia annis ſingu-

singulis numeraret conjugi autem Chriſtier- RUDOL-
næ dotem perſolveret ; ac cum hac qui- PHUS,
dem ita Cardinalis poſtea tranſegerat , ut omnium quæ a marito dono acceperat loco, XV. aureorum millia, quoad viveret, eidem penderentur. Sic tum ingratiis Cæſaris Andreas Cardinalis Tranſilvaniæ Principatum adiit, ſed qui illi nec diuturnus, nec felix fuit: mox enim Michael Tranſalpinæ Vaivoda, quem in Rudolphi clientelam conceſſiſſe paulo prius meminimus, in Tranſilvaniam improviſus irrupit, a quo Cardinalis prælio victus, cum per devia nemorum fugitivus ſalutem quæreret, a Siculis obtruncatus fuit An. MDXCIX. Poſt eam Patrui cædem Sigismundus, qui ad eum diem apud Samoiſcium affinem ſuum in Polonia ſubſtiterat, eodem Botskajo auctore, rurſum Tranſilvaniam armatus repetiit, verum a Baſta, quem Cæſar ſub idem tempus ad occupandam ſuo nomine Provinciam miſerat, profligatus eſt An. MDCII. Itaque nullam jam videns recuperandi principatus ſpem, tantum in clementia Cæſaris fiduciæ collocavit, ut ad eum Pragam

 abire

RUDOLPHUS.

abire non dubitarit, veniam ſæpius toties inconſtantiæ deprecaturus. Et vere ea fuit facilitate Rudolphus in hominem, quem ſemel in fidem clientelamque ſuam ſuſceperat, ut in gratiam recepto Lobkowicziam arcem incolendam dederit, cum annuo L. millium aureorum ſtipendio. Atque hic demum conquievit Sigismundus, inconſtantiæque una & vitæ finem invenit apoplectico fulmine proſtratus Pragæ Ann. MDCXIII.: dignus ſane miſeratione Princeps, qui res Transſilvanicas optime collocatas ingenii ſui mobilitate maximis diuturnisque involvit calamitatibus, ac dum optata pace frui ſecurus poterat, ſponte ſibi ſuisque malum conſcivit. Huc nempe illum peſſima Botskaii avunculi adduxere conſilia, qui toto eo tempore vias modosque ſcrutabatur, quibus principatum conſequeretur: id quod paulo ſerius obtinuit, ut mox narrabitur.

Quæ inde turbæ in Tranſilvania?

VIII. Profligato Principe Sigismundo Báthori, Baſta Cæſarearum copiarum ductor cum Michaele Valachiæ Vaivoda Trans-

ſilva-

ſilvaniam Rudolphi nomine gubernandam RUDOL-
ſuſcepit: non multo autem poſt tempore PHUS.
Collega Valacho An. MDCII. die XIX. Auguſti ob proditionis ſuſpicionem propria ſua auctoritate interempto, ſolus rerum omnium potiri cepit. In hoc porro magiſtratu per biennium geſto, adverſum omnes prudentiæ leges adeo crudeliter & avare verſatus fuit, ut funeſtæ illius Botskajanæ ſeceſſionis occaſio ei uni tribuatur. Is enim præter graviſſima tributa Provinciæ, nondum Turcicæ ſocietatis oblitæ, contra Cæſaris mentem impoſita, ſi quos potentiores locupletioresque noverat, variis ſtudioſe excogitatis prætextibus, auro, argento, theſauriſque omnibus emungebat, quin & vita ſpoliabat: ad hæc gentem univerſam, quam ſuavi agendi ratione Cæſari conciliare oportuit; amaris ſalibus, fœdis ſcommatibus, acerbiſſimiſque conviciis divexare non omittebat; adeo ut ſummos quosque viros Cæſariſque partibus addictos viliſſime tractaret. Talibus Ducis exemplis & impunitate animatus miles, tanquam ſi in hoſtili Provincia eſſet; ſpoliis, rapinis,

RUDOLPHUS.

omnibusque injuriis incolas exercebat, ut adeo brevi Tranſilvanos novorum hoſpitum pœniteret, plurimique ita comparati eſſent, ut dummodo Baſtæ jugum excuti poſſet, qualibet conditione ſerviendum Turcis præoptarent a). Communes gentis univerſæ querimoniæ cum ad aures Rudolphi perveniſſent, malis remedium allaturus, Decemviros ex Transſilvanis & Germanis lectos conſtituit, qui Baſta gubernatore confirmato ex patriarum legum præſcripto moderatius, quam antea, rempublicam illic gubernarent, id quod Anno MDCIII. initium habuit.

Unde orta ſeceſſio Botskajana?

IX. Verum gravius jam evaſerat malum; quam ut ſalubri hoc remedio ſerius quam oportebat oblato curari poſſet: ſub idem enim fere tempus atrox flamma univerſam Provinciam corripuerat, Moyſes Siculus Sigismundi Báthorii copiarum ductor, qui poſt acceptam Ann. MDCII. a Baſta

a) Iſtvanfius Hiſtor. Lib. XXXIII. & XXXIV. pag. 849.

poſt cladem Temesvarum interim ſe rece- RUDOLPHUS.
perat, a Provincialibus adverſus pacta omnia & invito plane Rudolpho Cæſare Princeps electus, poſtquam a Mahomete Turcarum Imperatore Transſilvaniæ principatus jura & inſignia (erant hæc enſis, clava, & vexillum) ſibi ſuisque poſteris impetraſſet, Turcarum ſuppetiis adjutus in Transſilvaniam An. MDCIII. irrupit, occupatisque aliquot præſidiis, ingentem popularium numerum ad ſe attraxerat: ut adeo metus eſſet, ne totam Transſilvaniam Rudolpho eriperet; at enim deſtinationes ſuas homo arrogans ad exitum deducere non potuit. Radulo enim Valachiæ Vaivoda, qui Michaeli ſucceſſerat, paulo prius clientelam ſacræ Coronæ Hungaricæ profeſſus, quo ſuæ in Rudolphum fidei ſpecimen daret, conſcripto ex Valachis & Transſilvanis Cæſari faventibus exercitu, An. MDCIII. die XXII. Auguſti Moyſem ad Cibinii mœnia hærentem noctis ſilentio aggreſſus fuit eo ſucceſſu; ut conjectis in fugam non ſine multa cæde Turcis & factioſis, Moyſem ipſum cum præcipuis aſſeclis victoris militis gladius abſum-

RUDOLPHUS.

ſumſerit. CLV. vexilla in ſignum victoriæ Pragam miſſa Rudolphum ingenti lætitia affecere; verum ea admodum brevis fuit: Turcæ enim Transſilvaniam ad priſtinam clientelam revocare certi, audita Moyſis cæde, continuo de altero Principe ei ſurrogando cogitationem ſuſcepere; cum autem nuperna in pugna plerisque interemptis, unus pene Gabriel Bethlemius de Iſtár præcipuus Moyſis ſectator fuga evaſiſſet, hunc oblatis auxiliis ad invadendam Tranſilvaniam excitabant. Eo Turcarum conſilio intellecto Stephanus Botskai, qui in Hungaria interim opportunam opperiebatur occaſionem, extemplo per litteras & nuncios egit cum Bethlemio, dehortans eum ab admittendo principatu propterea, quod ære opibusque deſtitutus, bello cum Cæſare gerendo impar eſſet; ſimul autem orabat magnopere, ut ſibi potius homini locupletiſſimo Turcas conciliare ſtuderet; ampliſſima illi, re obtenta, pollicitus præmia. Bethlemius fortunarum ſuarum, quæ tenues tum erant, probe conſcius, Botskaii poſtulatis perlibenter an-

M 3 nuit,

[redacted]

RUDOLPHUS.

nuit, facilique negotio Turcas ad illi favendum adduxit A). Clam quidem hæc acta ſunt; ſed quæ tamen Ludovicus Rákotzius; quin & ipſius Botskai familiares Cæſareis Ducibus tempeſtive prodidere: hi vero per celerrimos nuncios Pragam expeditos Rudolphum de imminente periculo edocuere. Verum cum ille totus Mathematicis immerſus diſciplinis reſponſa procraſtinat, & copiarum Duces, quid facto eſſet opus, incerti fluctuant; ſcintilla, quæ exſtingui facile poterat, in fatale erupit incendium.

Quibus mediis aucta?

X. Botskajus enim interea de Turcarum in ſe ſtudiis certus, ſimulata; ut erat ingenio ſane quam vaferrimo, in Rudolphum fide, deluſis copiarum Cæſarearum Ducibus, modum ſcrutabatur, quo Hungaros in ſuam pertraheret ſocietatem. Quid multa? geminos civilium bellorum fomites religionem, & libertatem arripit: ſparſis ſub exitum An. MDCIV. in omnem

A) Idem Lib. XXXIII. pag. 809. & ſeq.

RUDOLPHUS.

partem libellis, gentis univerſæ immunitates violatas, multa contra leges acta, Proteſtantium Religiones oppreſſas, templa ablata A) acerbe queritur, opportunisque ad ciendam ſeditionem verbis ſingulos, quibus & libertatis, & religionis cura eſſet, ad jungendas ſibi dextras invitat. Nil magnete hoc validius cogitari fingive potuit: ſine mora ingens tibiſci accolarum ad Botskajum concurſatio facta: ac alii quidem religionis & libertatis ſtudio; alii, & plurimi fortaſſe rerum ſuarum in communi ea perturbatione augendarum cupiditate confluxe-

A) Huc faciebat Decreti XV. Artic. XXII. quo cenſura notatis proteſtantium querimoniis, Religionis Romano-Catholicæ prærogativæ, ac in ejus favorem cum a D. Stephano, tum vero a ceteris Rudolphi Cæſaris deceſſoribus edita Decreta & Conſtitutiones generatim confirmata ſunt, in Comitiis An. MDCIV. Sub idem tempus Rudolphus Princeps Caſſoviæ D. Eliſabethæ templum, quod Calviniani haud ita pridem Catholicis eripuerant, veteribus poſſeſſoribus reddi, uſibusque Canonicorum Agrienſium ibi exulum deputari juſſerat. Id quod velut graviſſimum oppreſſæ reformatæ Religionis argumentum jactabat Botskajus & ipſe reformatus.

[redacted]

fluxere, gaudente Botskajo; quod ſpecioſis iis titulis tantam multitudinem pro ambitione ſua militaturam opinione citius collegiſſet. Eodem prope tempore Tranſilvani, & Bethlemii adhortationibus, & Turcarum imperiis inducti, Botskajo adhæſere; quorum voluntatibus cognitis, ille nil moratus, Claudiopolim contendit, ubi A. MDCV. Sultani nomine principatus inſignibus ornatus, accepto ab Ordinibus fidei ſacramento; in Ottomanici Legati præſentia Regni poſſeſſionem adiit.

RUDOLPHUS.

XI. Tantæ, ut Transſilvania eſt, Regionis acceſſione, atque una Ottomanicis auctus ſuppetiis Botskajus, bellum eodem anno in Hungariam transfert. Diviſis in plures partes copiis, profligatis ubique Cæſareis, univerſam torrentis inſtar inundat Hungariam. Certe, quidquid cis danubium inde a limitibus Transſilvaniæ Poſonium usque urbium ditionumve fuit, in victoris conceſſit dominatum A); quin etiam ultra da-

Quo Hungariæ damno?

A) Lege Iſtvanfii Hiſtor. Lib. XXXIV. & P. Franciſci Kazi Hiſtor. Hung. Lib. I.

RUDOLPHUS.

danubium plures ab ejus Ducibus arces expugnatæ ſunt. Non eſt autem, quod quis rapidiſſimas Botskajani belli progreſſiones miretur; cum enim ſumma [illegible] uterentur celeritate, ut pene famam ipſam adventu ſuo prævolarent, præcipui quique viri, Cæſarique fideles in oppidis arcibusque ſuis improviſo occupati, & inopinato mortis metu adacti; quo vitam Regi patriæque utilius ſervarent, in belli ſocietatem abibant; nonnulli fuga prius elapſi, fortunas ſuas Botskajanis diripiendas reliquere: nec pauci crudelem in modum interfecti, ſuæ in Regem fidei victimæ ceciderunt. Quanquam fatendum, illud plurimum Botskajanis votis profuiſſe, quod Hungari vehementer tum a Cæſare diſſidebant, quod Pragæ continuo degens parum res Hungaricas curare videretur, poſtulata ſeu privatim ſive communi Comitiorum nomine propoſita ſtudioſa diſſimulatione negligeret; nec ea, quæ conſtituta fuiſſent, exequi curaret, unde factum, ut in Comitiis non raro parum reverentes voces minæque jactarentur in Cæſarem. Deni-

que

[redacted]

RUDOLPHUS.

que intoleranda jam genti univerſæ evaſerat militis exteri licentia: quam atris omnino coloribus deſcriptam legere eſt in Comitiorum decretis prope ſingulis A), quibus modis alienatam gentem pronum fiat Botskajo ſuas in partes traducere. In communi autem eo incendio quanta privatis familiis, communitatibus, & toti Regno illata ſint damna? quo in Catholicos, & ſacros imprimis viros furore a cæca plebe, & Religionis obtentu cuncta ſibi licere arbitrante ſævitum ſit? quot Eccleſiæ Dei barbarum in modum direptæ ac profanatæ? ab inſtituta brevitate alienum foret hic deſcribere: ſenſit abunde ætas, ſexus, & Ordo omnis, quid multitudinis poſſit audacia, ſi præſertim publica armetur auctoritate. Illud minime tacendum, nonnullos e Botskajanis eo avaritiæ & crudelitatis

A) Inſpice ſi placet Decreta Rudolphi Cæſaris nominatim Decr. IV. Art. 1. Decr. VII. art. 3. 27. Decr. IX. art. 3. Decr. XIV. art. 2. ac denique Iſtvanf. Hiſt. Lib. XXVIII. ſub finem pag. 648. & paſſim alibi.

RUDOLPHUS.

tis prolapſos fuiſſe, ut Chriſtianos ab ſe captos Turcis venundare non exhorruerint a). Sic dum tota pene Hungaria Cæſari eripitur, illud ingenti patriæ commodo accidit, quod Stephanus Illésházi clam Cæſari favens, ſtudioſe caverit, ne Turcæ per eam belli ſocietatem alicujus loci poſſeſſionem adirent: quare cum Montanas urbes arcesque alias in deditionem accipiebat, excluſis Turcis, ſolos Hungaros milites præſidiis imponebat. Hinc factum, ut toto eo bello ſociis Turcis geſto, nil ditionum in Ottomanorum venerit poteſtatem; niſi quod multa captivorum millia ex Hungaria, Auſtria, Styria, in miſerandam ſervitutem ſint abducta.

Quomodo ſedata tempeſtas?

XII. Atque hæc erat belli Botskajani ratio, quo res Rudolphi Cæſaris eo adductæ fuere, ut actum pene de illius in Hungaria dominatu videretur. Fervente jam ubique flamma, Cæſar ſerio de remedio cogitans, nullam pene eluctandi viam invenie-

a) Iſtvanf. Lib. cit. pag. 829.

FACULTATEA DE DREPT SEMINARUL DE FILOSOFIA DREPTULUI ŞI SOCIOLOGIE CLUJ

[redacted]

niebat; vires omnes in unum contractæ RUDOL-
non tantæ erant, ut Botskajo frangendo PHUS.
ſufficerent. Quanquam & ea de cauſa bellum proſequi non tutum fuit, quod Botskaii exemplo & ſucceſſu animati Bohemi Moravique Proteſtantes, conſimilibus de cauſis, inita cum Hungaris ſocietate, arma in Cæſarem corripere parabant. Ne itaque continuato bello, regnorum omnium amittendorum diſcrimen adiret, pacem quibuscunque modis quantocyus cum Hungaris ſtabilire decrevit. Ad hanc porro procurandam Mathiæ Archiducis opinione aptiſſimus judicatus fuit Stephanus Illésházy Curiæ Regiæ Magiſter, qui latam in caput fortunasque ſuas olim a Camera ſententiam declinaturus A) præcipiti fuga in Poloniam elapſus, biennium prope ibi exul age-

A) Cum acerbiore quodam in Cameram Regiam ſcripto Majeſtatem Regis læſiſſe judicatus, Viennam ad dicendam cauſam citatus eſſet, ab amicis de capitis, quod ſibi ab eo judicio immineret, periculo admonitus profugit, abſensque poſtea proſcriptus fuit. Pluribus hæc lege apud Iſtvanf. Hiſtor. Lib. XXXIII. pag. 798.

RUDOLPHUS.

agebat: magno vir conſilio, & incredibili graviſſimis in negotiis dexteritate, ad hæc autem ſummæ apud Botskajum & Proteſtantes auctoritatis. Hunc itaque Rudolphus per litteras oblata gratia, bonorum item & dignitatum reſtitutione, ad ſe invitavit, de pacis conficiendæ conditionibus inſtruendum. Illésházius pro oblata ſibi clementia prolixas egit gratias; negavit tamen e Reipublicæ & Cæſaris commodo futurum, ſi Pragam prius ad Cæſarem, aut Viennam ad Mathiam proficiſceretur; quod hoc ſuo itinere & Botskajo, a quo crebris vocabatur nunciis, & ceteris ejus aſſeclis ſuſpectus evaderet: iturum autem ſe, ſi Cæſar annueret, recta ad Botskaji caſtra, atque illic, quæ pro Cæſaris & Regni ſalute viderentur, clam curaturum A). Id ubi Cæſar & Mathias probaviſſent, redux

e Po-

A) Hac mente in Botskajanis caſtris verſatum fuiſſe Illésházium, e fideliſſimis monumentis certum eſt, quod quia tum in vulgus non emanaverat, non mirum eſt, coævos Scriptores aliter multo ſenſiſſe.

[redacted]

RUDOLPHUS.

e Polonia Illéshàzius ad Botskajum ſe contulit, à quo incredibili lætitia acceptus, brevi in intimam arcanorum conſiliorum conſcientiam penetravit; ut unus pene omnia moderaretur. Atque hac occaſione Illéshàzius Mathiam cunctis de rebus per ſecretiſſimos nuncios edocebat; Botskajum autem armorum ſuorum ſucceſſibus elatum, atque jam ad Regiam in Hungaria dignitatem aſpirantem a) ſingulari ſua prudentia ita ſenſim fregit, ut non modo pacem expeteret, verum etiam totum illius conficiendæ arbitrium Illéshàzio uni deferret.

Quæ præcipua capita pacis Vienneníis?

XIII. Viennam itaque MDCVI. profectus Illéshàzius, cum Mathia Archiduce, cui Cæſar plenam hoc in negotio contulerat poteſtatem, de pace tractare cepit: poſt bre-

a) Spem ſceptri Hungarici illi fecere Turcæ; ſubmiſſa Bizantio corona, qua tamen illegitima inauguratione ne quid ſibi arrogaret poſtea Botskajus, Viennenſi pace cautum fuit. Lege Iſtvanſ. Hiſtor. Lib. XXXIV. pag. 542.

RUDOLPHUS.

brevem diſceptationem, mitigatis aliquantum duriſſimis Botſkai poſtulatis, celeberrima illa Viennenſis pacificatio ad exitum deducta fuit, cujus hæc præcipua fuere capita: Stephanus Botſkajus iis, quibus olim Sigismundus Bathori legibus a) hæreditariam ad poſteros Tranſſilvaniam, ac aliquot Hungariæ comitatus bona fide poſſideret; ſi abſque hæredibus decederet, omnis illius ditio ad Rudolphum aut ſucceſſores Hungariæ Reges nulla interpoſita mora redirent. Arces, urbes, & oppida a Botſkajanis occupata in Hungaria, mox a ſignata pace, Cæſari reſtituerentur. Qui civile hoc bellum ſecuti ſunt, ab omni nota immunes forent; qui autem ob conſtantem in Regem ſuum fidem bonis & fortunis exuti fuere, in integrum reponerentur. In proxime habendis Comitiis Palatinus, quo XL. ipſos annos carebat Hungaria, eligeretur; ad quam dignitatem Proteſtantibus etiam pateret aditus. Ceteris autem in Regno Magiſtratibus tam Civilibus

a) Vide ſuperius Num. VI.

bus quam militaribus ſoli Hungari præficerentur. Denique liberum Lutheranis & Calvinianis conceſſum religionis exercitium, non tamen in Catholicæ Eccleſiæ ſtatusque Eccleſiaſtici fraudem. His aliisque Cæſaris nomine die XXIII. Junii An. MDCVI. Mathias Archidux ſubſcripſit, eademque poſtea Ordines Regni die XXIII. Septembris ejusdem anni rata habuere. Ut autem eo amplius pactorum obſervationi caveretur, Hungariæ Bohemiæque Ordines ſolennibus inſtrumentis mutuam ſibi fidem obligarunt. Per eandem occaſionem Illésházius volente Cæſare cum Turcis pariter concordiam iniit magno Regni commodo; nam & ea, quæ ſuperioribus bellis Mathias & Maximilianus Archiduces ceterique Cæſaris copiarum Ductores Turcis eripuerant, retenta ſunt; & illa, quæ Botskajus Turcarum auxiliis occupaverat, reſtitui oportuit A). Hunc in modum feralis illa tempeſtas, quæ RUDOLPHUS.

A) Hæc omnia fuſius videri poſſunt apud Iſtvanſ. Hiſtor. Lib. XXXIV. & in Pacificat. Vienneſi atque pace cum Turcis. In Codice Juris Patrii.

RUDOLPHUS.

toti Hungariæ exitium portendebat, poſtquam biennio non integro ſæviit, Stephani Illésházi ingenio & prudentia non ſine Rudolphi Regis & Regni commodo diſſipata fuit: quamvis ob nonnulla pacis capita Cæſar Illésházio admodum indignaretur, nec facile conciliari poſſe videretur. Ac iſte quidem debita non caruit mercede: nam præterquam, quod antiquata Cameræ ſententia, bonis, honoribus, juribusque ſuis priſtinis continuo reſtitutus ſit, a Mathia ſubinde ea propter ampliſſimas opes impetravit (A).

XIV.

(A) Juvat hic Regem audire loquentem de Illésházii meritis & obſequiis „ quæ ipſe, *inquit Mathias*, ſacræ primum Regni noſtri Hungariæ Coronæ, ac deinde Majeſtati noſtræ indefeſſo ſtudio „ & diligentia, tum in compoſitione pacis Turcicæ, Regnoque noſtro Hungariæ diu deſideratæ „ tranquillitatis inductione; tum etiam Provinciæ „ Transſilvaniæ ad noſtrum Regnique obſequium „ reductione, nullis parcendo laboribus, vigiliis & „ impenſis, nulla denique vitæ diſcrimina & pericula ob amorem & ſinceritatem erga labantem

„ pa-

XIV. Pax hæc etſi ob conceſſas Proteſtantibus immunitates & Cæſari & Catholicis multum diſplicuerit, ac propterea Illésházio homini Lutherano aliquantum ſuccenſerent; utiliſſima tamen fuit, ob redditam Regno tranquillitatem, ſervatumque Rudolpho & Auſtriacis ſucceſſoribus Regnum. Botskajus autem parto per civile bellum principatu & opibus ampliſſimis non diu fruitus eſt: eodem enim anno MDCVI. die XXVIII. Decembris, nullo poſt ſe relicto hærede, ex hydrope exſtinctus eſt Caſſoviæ. Condiderat is teſtamentum politicum; in quo cetera inter majorem in modum Transſilvanis commendabat, ut ſemper e potentioribus Hungariæ Proceribus Principem ſibi legerent, nunc vero ſibi ſurrogandum ſuadebat Valentinum Homonai, ceu virum, quo neminem Hungaros inter principatui aptiorem noſſet. Mors illius menſem integrum ab amicis ſtudioſe cela-

RUDOLPHUS.

Quid actum poſtea?

„ patriam ſuam dulciſſimam adire formidando, cum „ perpetua nominis ſui laude, noſtraque benigna „ ſatisfactione exhibuit & impendit.„ In Diplom. donationis An. MDCVIII.

RUDOLPHUS.

celata fuit, donec pacis puncta executioni data ſunt, & Tranſilvani de novo ſibi legendo Principe admonerentur. Et vero non ea, qua pacis tabulis cautum erat, fide tum actum eſt. Nam cum Botskajo ſine liberis demortuo, Tranſilvaniam & partes Hungariæ ad ſacræ Coronæ & Rudolphi Regis obſequium redire oportuiſſet; Turcarum factione inſtigati Provinciales, neglecto Homonajo, Viro Catholicam Religionem profeſſo, Sigismundum Rákotzi, qui vicaria interim pro Botskajo abſente poteſtate Rempublicam adminiſtraverat, quanquam invitum, XI. Februarii Ann. MDCVII. ſibi legere Principem, a Turcis IV. Martii confirmatum: ille vero & provectam ætatem, & graviſſimos, queis laborabat, morbos obtendens, anno inſequente MDCVIII. Gabrieli Báthori, qui Andreæ Báthori ex Margaretha Mailathia filius fuit, Religionemque Catholicam dignitatis potiundæ ſpe ejuraverat, Principatum ſponte ceſſit: hæc Tranſilvanorum ſeceſſio & Rudolpho & Mathiæ poſtea ferenda fuit, ne novis turbis objiceretur Hungaria.

XV.

[redacted]

RUDOLPHUS.

Qua laude vixit Rudolphus?

XV. Quanquam Rudolphus non diu res Hungaricas moderatus eſt; reſignata enim anno MDCVIII. Mathiæ fratri Hungaria & Auſtria a), dataque cautione, eundem in Bohemia ceteriſque provinciis pariter ſucceſſorem forę. Pragæ deinceps vitam reliquam in litterario otio exegit: quod ille antea etiam, cum Reipublicæ obſtrictus erat, ita adamaverat; ut id, quod privato homini laudi eſſe poterat, apud Principem, populorumque ſuorum Patrem in vitium abiiſſe videretúr. Rudolphus enim ſuis immerſus ſtudiis, adeo difficiles ad ſe præbebat aditus, ut ſummi etiam momenti negotia, quæ moram non ferebant, non niſi tentato ſæpius acceſſu, & quam tardiſſime illi proponi poſſent. Nec facilior in reſponſis dandis fuit: hæc in plures hebdomadas quin & menſes differebantur, ut adeo ſæpe inutilia evaderent Cæſaris mandata; quod mutatis interea circumſtantiis, nec rebus nec temporibus ac-

a) Qua id ratione factum, in rebus Mathiæ II. Regis narrabitur.

RUDOLPHUS.

commodata, imo noxia plane viderentur. Atque ex hac in tractandis Reipublicæ negotiis tarditate, multos novandarum rerum occaſionem ſumpſiſſe, creditum fuit. Ceterum otia illa litteraria non ita Rudolphum ſibi eripuerant, ut non ſummo ſtudio Religioni Catholicæ opitularetur: illius indemnitati cum alias; tum in Poſonienſibus An. MDCIV. comitiis egregie proſpexit. Atque vel hoc uno Auſtriacis id eſt Religioſiſſimis Majoribus ſe prognatum probavit. Multis per omnem vitam jactatus adverſis conſtantiam non dimiſit; Maximilianum Archiducem fratrem ſuum annum & amplius captivum apud Polonos pati coactus non prius liberari obtinuit, quam poſtquam ſuo Auguſtæque familiæ Auſtriacæ nomine cunctis in Poloniam eidemque annexas provincias juribus renunciaſſet: qua occaſione ſingulari Numinis providentia factum fuit, ut S. Coronæ Hungaricæ in Ruſſiam Podoliamque Polonis tum obnoxiam jura ſarta tectaque manſerint A). Produxit

A) Pax Bithomienſis & Bendzinenſis mutuis juramen-

[redacted]

xit Cæſar clementiſſimus vitam usque ad Annum MDCXII. quo conjugii expers ad aſtra, quorum contemplationibus ætatem contrivit, translatus eſt die X. Januarii. RUDOLPHUS.

N 4 MA-

---

tamentis & ſolemnibus tabulis concluſa fuit die IX, Martii An. MDLXXXIX. Poloni, ut erant juris publici Hungarici peritiſſimi, ſapienter providebant, renunciationem, quam Rudolphus ex parte Hungariæ faciebat, nullius futuram roboris, niſi ab Hungariæ Ordinibus ſubſcripta probaretur: quare Rudolphum urgere non deſinebant, ut id in Comitiis generalibus fieri procuraret; at enim ille votis Polonorum ſatisfacere non potuit, Hungari acta ea omnia ſe inſciis inita velut ad ſe nil attinerent omittenda duxere, neque unquam eadem calculo ſuo probavere, quod tum tamen jure & conſuetudine fieri neceſſe fuit. Exemplo ſint pacta cum Sigismundo Bathori Principe Transſilvaniæ An. MDXCV. concluſa, quæ quia aliquam jurium S. Coronæ diminutionem involvebant, in Comitiis Regni acceptari oportuit. Notandum ex tranſitu, Nicolaum Iſtvanfium Propalatinum, qui Legatos inter tractatui Bithomienſi præſens adſtiterat, nomine gentis Hungaricæ palam interceſſiſſe nequid iis pactis S. Coronæ Hungariæ juribus præjudicaretur. Ut ipſe innuit Lib. XXVI. pag. 575.

MATHIAS II.
REX XLII. ROM. IMP.
A. C. MDCVIII.

MATHIAS II.

Quibus viis Regnum adeptus?

I.

QUa ratione Mathias vivente adhuc Rudolpho Cæſare Hungariæ coronam conſecutus ſit, ut clarius intelligi poſſit, juvat rem paulo altius repetere. Sub ipſa Botskajanæ ſeceſſionis tempora non levia inter Mathiam Archiducem & Rudolphum Cæſarem exorta ſunt diſſidia, idque ſucceſſionis cauſa: cum enim Rudolphus cælebs, ut diximus, nullam pariter e fratribus Mathia, Maximiliano & Alberto A) ſpem poſteritatis eſſe cerneret, conſilium ſuſcepit, Provincias omnes in Ferdinandum Caroli Archiducis Patrui ſui filium B) transferendi: quem ob ſingularem virtutem & ſapientiam & diligebat impenſius, & æſtimabat plurimum, quemque jam liberos mares e con-

A) Vide Tab. Genealog. II.
B) Vide Tab. III.

[redacted]

MATHIAS II.

e conjuge Maria Bavara ſuſcepiſſe, atque adeo Auguſtam domum propagaturum conſtabat. Propenſis ad eam deſtinationem ceteris fratribus, unus obſtitit Mathias, negavitque ſe admiſſurum, ut hæreditariæ Provinciæ a morte fratris ad alium devolvantur; quod nefas eſſet, ſuperſtitibus adhuc Maximiliani II. Imp. prolibus, hæreditatem ad junioris fratris Caroli poſteros transmitti, quibus nullum ad Regna, niſi illis prius omnibus exſtinctis, jus eſſet. Quapropter per nuncios & litteras egit cum Rúdolpho, obteſtans, ne eam, ut putabat, injuriam ſibi inferret: at fruſtra fuere omnia Cæſare firmo in ſententia perſiſtente. Simultates has Cæſarem inter & Mathiam intercedere ſubodoratus Illésházius, tum cum Botskajanæ pacificationis cauſa Viennæ agebat, Mathiam multa animo volventem in ſpem Regni Hungarici erexit, pollicitus fore, ut ſua ſuorumque opera conciliatis Hungarorum ſtudiis citra omnem dubitationem Rex inauguraretur. Mathias inſperato eo promiſſo mirifice lætus, quoniam Auſtriacorum Primores ſibi

MATHIAS II.

conciliatos dictoque audientes habebat, Il-léshazium cum Paulo Trautſon, Carolo Lichtenſteinio, & Seifrido Preunerio viris inter ſuos clariſſimis æque ac potentiſſimis de modo rei ad exitum deducendæ conſilia habere juſſit: qui eum ſuo, gentisque nomine operam viresque omnes eo ſe collaturos ſpopondiſſent, rebus omnibus provide ſapienterque diſpoſitis, Illéshazius Georgio Thurzone in inferiore Hungaria Mathiæ pertes agere juſſo, in ſuperiorem Hungariam diſceſſit, ac per eam opportunitatem, qua Civitates & arces earum ditionum e Botskajanorum manibus in fidem Cæſaris recipiebat, turbatasque res e pacificationis Viennenſis Decreto in ordinem redigebat, potentiores quosvis ſub ſigna Mathiæ Archiducis auctoravit. Mathias interea conſcripto ex Illéshazii conſilio milite, ſub principium Anni MDCVIII. Poſonium ſeſe tranſtulit, ac ab Hungaris, quos eo alio prætextu convocaverat, oſtenſis Auſtriacorum Ordinum ſolennibus literis, quibus contra quosvis hoſtes ſe ei fideles futuros juramento promittebant, magnope-

[redacted]

re flagitavit, ut ipſi quoque haud diſſimiliter fidem ſuam ei obligarent. Multi ex Hungaris id facere principio tergiverſabantur: quod in eo ſcripto ab Auſtriacis concepto, ne Cæſar quidem exciperetur; poſtremo tamen adnitente Georgio Thurzone, cui res & conſilia omnia erant patefacta, omnes conſenſere A), præter Franciſcum Forgátſium recens a Cæſare Strigonienſem Archiepiſcopum creatum, ac una ejus commendatione in numerum S. R. E. Cardinalium cooptatum, qui ut Cæſarem repudiaret, aut diverſas ab eo partes ſequeretur, nullo nec minarum nec acerbæ mortis periculo terreri potuit. Itaque Illésházii & Georgii Thurzonis opera brevi tempore præcipui quique ex Hungaris Viri ad Mathiæ partes tranſiere, in quem dudum jam

A) Eam Forgatſii in Fide conſtantiam adeo acerbe tum Mathias tulit, ut cum Cæſaris juſſu in Templo D. Martini eidem a Cubiculario Pontificis ſolitis Ceremoniis Pileus imponeretur, ipſe ſolenni ei actui intereſſe detrectarit. Iſtvanf. Lib. XXXV. pag. 851.

MATHIAS II. jam propenſiſſimis ferebantur ſtudiis ob inſignem clementiam & humanitatem, qua omnes & ſingulos, ſive cum bellum in Hungaria gereret; ſive cum fratris nomine Comitiis Regni præſideret, ſemper complexus fuerat. Sic comparatis Auſtriacorum & Hungarorum animis, Mathias conſcripto celeriter milite, Moraviam ſubit, eaque nullo negotio in fidem recepta, Bohemiam ingreditur. Hic cum pariter multos e Primoribus ſibi faventes comperiſſet, Rudolphum de Hungaria Auſtriaque ſibi reſignanda interpellavit. Ille id loci adductis rebus, minime reſiſtendum ratus, præter omnium expectationem fratris poſtulatis ſubſcripſit, ſolennique diplomate Hungaros & Auſtriacos ab obedientiæ ſibi præſtandæ lege abſolvit, Bohemiæ quoque obtinendæ ſpem fecit a). Denique ne quid ad beneficii cumulum deeſſet, ſacrum Regni Hungarici Dia-

a) Is cauſæ fuit quod Mathias mox in titulis uti cœperit appellatione *Deſignati in Regem Bohemiæ*, cujus fidem faciunt nummi hodiedum ſuperſtites.

[redacted]

Diadema, poſt LVIII. annorum Pragæ exilium, per Cardinalem Dietrichſteinium Olomucenſem Epiſcopum Mathiæ manibus conſignavit, die D. Ladislao Hungariæ Regi glorioſiſſimo ſacra, Anno MDCVIII. MATHIAS II.

II. Inſperata ea ceſſione recreatus Mathias, Hungariæ Ordines Poſonium ad inaugurationem ſub ejusdem anni exitum adeſſe juſſit. Ante omnia placuit hic Viennenſis pacificationis capita alia quidem ſtabilire; alia autem mitius explanare & reſtringere. Expeditis deinde gravioris momenti negotiis, leviora, uti & dignitatum diſtributio conſulto poſt inaugurationem, quæ die XIX. Novembris per Cardinalem Forgátſium peracta fuit, ſunt rejecta. His Comitiis Stephanus Illésházi primus e Proteſtantibus Palatini dignitatem, agente Mathia obtinuit, præterea geminæ Lutherana & Calviniana Religiones, maximis Cardinalis Forgátſii & totius Cleri Hungarici ingratiis, civitate ſunt donatæ A). Quando inauguratus?

III.

A) Vide Decretum Comitiorum in Codice Juris Patrii.

MATHIAS II.

Quietumne illi Regnum

III. Ex eo tempore Mathias rerum in Hungaria potitus, tranquillum domi habuit Regnum; niſi quod cum Gabriele Báthori Tranſilvaniæ Principe aliquamdiu bellum gerendum fuerit. Is præterquam quod Radulonem Tranſalpinæ Valachiæ Vaivodam fidum ſacræ Coronæ Hungaricæ clientem infeſtis ſignis invaſerit; Hungáriam pariter nulla data cauſa crudelem in modum non una vice depopulatus fuit. Nam cum in exhauſta per ſuam avaritiam & crudelitatem Provincia annui redditus illi non ſufficerent, ex Hungariæ ſpoliis & ruinis ærarii ſui rationes inſtauratum ibat. Ultus eas injurias fuit Mathias miſſo Sigismundo Forgácſio; ſed quia Turcæ & Tartari magno numero in Báthorii auxilium convolaverant, non levis in exitu clades accepta fuit. Ceterum æmulo hoc brevi liberatus eſt Mathias: Transſilvani enim ob intolerandam avaritiam, libidinem & multorum illuſtrium virorum cædem ad vindictam concitati, miſſo Bizantium accuſationum libello, Achmetem Sultanum orarunt, ut ſibi liceret exauctorato inviſo capite, alium ſub-

ſubrogare Principem. Báthorius impendentis periculi admonitus primum Andream Getzium An. MDCXII. ad Achmetem placandum expedivit, qui contra quam juſſus erat, oblatis Turcorum Imperatori Lippa, Jenone, aliisque circum Varadinum arcibus, ſibi principatum impetravit. Quo animadverſo Bathorius, ut rebus ſuis conſuleret, ad Mathiæ Regis clientelam confugit atque etiam a placato opera Georgii Thurzonis Rege in gratiam receptus fuit, auxiliaque contra æmulos impetravit. At enim ſera nimis hæc fuere conſilia, nam Gabriel Bethlenius dudum jam ſolio inhians cum Bizantii nuncium Principis ſui ageret res illius penitus afflixit. Aucta enim novis accuſationibus Báthorii invidia, muneribus & pollicitationibus adeo ſibi Turcas conciliare noverat, ut Achmetes datis ad Transſilvanos mandatis, Báthorio e principatu dejecto, Gabrielem Bethlemium ſubſtitui imperarit. Báthorius ea re perculſus, cum ad tuendam dignitatem vires Varadini comparat, a furentibus ſuis obtruncatus fuit die XXVII. Octobris An. MDCXIII.

MATHIAS II.

poſſi-

MATHIAS II.

peſſima ſui ab effuſa in quosvis thoros libidine & crudelitate relicta memoria. Bethlemius autem, ſine mora Principatu potitus, ut inſigni pollebat aſtutia, pacem ſtudioſiſſime coluit, quoad res ſuas in Tranſſilvania conſtabilivit; at poſtquam nil ſibi amplius a quoquam timendum vidit; crudelem in modum invaſit Hungariam; quemadmodum in rebus Ferdinandi II. narrabitur.

Quæ cura de ſucceſſore?

IV. Mathias interea otium nactus, quoniam videbat, ex Anna Auſtriaca Conjuge ſua A) nullam ſibi ſpem ſobolis eſſe, eo magis de ſucceſſore tempeſtive conſtituendo ſollicitus fuit; quo certius prævidebat, Rempublicam a morte ſua religionis diſſidiis vehementer perturbandam, non ſine periculo; ne domus Auſtriaca impiis quorundam conſiliis aliquot Provinciarum dominatu excideret. Sapientiſſimis his curis occupato idem ille occurrit Ferdinandus Caroli Archiducis in Styria filius, cujus exclu-

A) Inſpice Genealog. Tab. II.

[redacted]

cludendi cauſa ipſe olim in Rudolphum fratrem arma corripuerat. Re cum fratribus ſuis ſuperſtitibus Maximiliano & Alberto communicata, confectaque, primum apud Bohemos Regem eum coronari procuravit An. MDCXVII. Inſequente autem anno eandem ob cauſam Hungaros Poſonium ad diem IV. Martii convocavit. Pronos hic etiam in ſua vota nactus fuit Regni Ordines, quos clementia, indulgentiaque ſua ſibi arctius obſtrictos habebat. Nil itaque in mora fuit, quo minus eligeretur Ferdinandus; ſi modo conditionibus, erant numero XVII. ſibi a Regno propoſitis ſubſcriberet A). Quod poſtquam ille præſtitit, MATHIAS II.

A) Operæ pretium eſt, ad eorum temporum rationem intelligendam, conditiones ab Ordinibus Ferdinando oblatas hic recenſere: I. Gentis totius libertates & immunitates ſeu veteres, ſeu Anno MDCVIII. ſtabilitæ ſalvæ maneant. II. Comitia Regni Generalia quovis triennio celebrentur, leges illic perferendæ intra VI. menſes executioni dentur. III. cum Hungaris tractentur negotia Hungarica, IV. Iisdem Confiniorum præfecturæ & Capitaneatus conferantur. V. Diligenter obſerventur Octavalia

MATHIAS II.

communi Catholicorum æque ac Proteſtantium conſpiratione electus, eodem anno Calendis Julii a Petro Pazmano Strigonienſi Archi-

---

lia Regni judicia. VI. Liberum ſit Proteſtantibus Religionibus exercitium. VII. Palatini & Bani dignitas æque, ac auctoritas ſuo in vigore perſiſtant. VIII. Confiniis ſolerter proſpiciatur. IX. Civitates liberæ ac montanæ ſuis porro gaudeant libertatibus. X. Sacroſanctum Regni Diadema Duumvirum Coronæ cuſtodum fidei credatur, nec illud ullo prætextu citra Ordinum Regni conſenſum, Regno efferre liceat. XI. Limites cum vicinis Provinciis ex æquo definiantur. XII. Fœdera civilis belli tempore Hungaros inter ac Bohemos & Tranſilvanos inita deinceps etiam ſuum robur obtineant. XIII. Neque pacem aut bellum decernere; neque exterum militem in Regnum inducere fas ſit, absque Ordinum Regni conſenſione. XIV. Oppida aliquot & arces ab Hungaria avulſæ, Auſtriacisque terris adſcriptæ, Regno reſtituantur. XV. Caſtrum Lublyo cum tredecim Scepuſii oppidis numerato pignoris pretio redimantur. XVI. Haidones Hungari veteribus vivant legibus & juribus. XVII. Denique quamdiu Mathias in vivis ageret, Ferdinandus ſolo titulo Regio contentus, ab omni Reipublicæ gubernatione abſtineat, nec quidquam ordinet, niſi volente Rege Mathia. Hæc ſumma fuit conditionum, de quibus Ferdinandus

Archiepiſcopo, conſuetis cerimoniis, maximo Mathiæ gaudio inauguratus fuit.

MATHIAS II.

Qua laude vitam clauſit Mathias?

V. His provide ſapienterque conſtitutis, dum turbis ſubito in Bohemia exortis ſopiendis intendit Mathias, lethali morbo correptus Viennæ viam æternitatis iniit die XX. Martii An. MDCXIX. Præfuit Hungariæ annis X. Bohemiæ autem & Romano Imperio poſt Rudolphi fratris mortem annis VII. Princeps de Hungaria optime promeritus, quam bellica virtute ſua adverſus Turcas ſtrenue propugnavit, pluribusque nobilitavit victoriis. Graviſſima ſub Rudolpho Cæſare excitata incendia prudentia ſua reſtinxit. Illud a multis vitio illi datum, quod paulo indulgentiorem ſe Proteſtantibus præbuerit, quam dominantis Religionis Catholicæ dignitas poſtularet.

O 2 Sed

dus ante coronationem ſuam ſolenni diplomate Poſonii die XV, Maji An. MDCXVIII. edito cavit. Quod lege inſertum Articulo II. Decreti Comitiorum Sopronienſium An. MDCXXII. in Codice Juris Patrii.

MATHIAS II.

Sed ſi quis implexas eorum temporum rationes accuratius examinet, cedendum aliquid fuiſſe neceſſitati videbit: neque enim Proteſtantibus in Hungaria, Bohemia, Moravia & Auſtria ad extorquendam Religionis libertatem armatis, citra gravius diſcrimen negari omnia potuere. Quanquam ſi quid etiam per eam conniventiam Eccleſiæ Catholicæ damni illatum fuit, quam cumulatiſſime compenſavit Mathias, cum Petrum Pazmanum ad Principem in Hungaria Strigonienſem Eccleſiam evexit a). Is enim cum eximia virtute, multiplici do-

ctri-

a) Degebat diu in Cardinalis Forgáttii aula Petrus Pazmanus Soc. Jeſu Sacerdos, Apoſtolicis vacans expeditionibus. A morte Cardinalis, Ladislaus Petheő Cameræ Præſes, Georgius Homonnai & Nicolaus Eſzterházy Mathiam acceſſere, orantes, ut virum maximis rebus gerendis aptiſſimum, alieniſſimis illis Religioni temporibus, Metropolitam nominaret; annuit perlibenter Mathias, dudum jam de juvanda Eccleſia Catholica ſollicitus, Pazmanumque prius a Paulo V. Papa voti Religione ſolutum, IV. Calendas Octobris An. MDCXVI. Strigonienſem creavit Archiepiſcopum.

[redacted]

MATHIAS II.

ctrina, ac ardentiſſimo Fidei Zelo præditus eſſet; publicis concionibus, privatis ſermonibus, doctiſſimis libris in lucem editis, aliis denique mediis Apoſtolicis plura mortalium millia recte ſentire docuit; & quod ſingulare prorſus, quinquaginta illuſtres Hungariæ familias ad veteris Eccleſiæ Catholicæ gremium revocavit: ut adeo plus ille ſtudio operaque ſua Religioni Catholicæ profuerit, quam adverſarii armis nocuerint. Quæ lucra animarum citra dubitationem Mathiæ Cæſari tribuenda ſunt, ut qui ad eadem procuranda Pazmano opportunitatem præbuerit.

TABULA III.

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI III.

Ferdinandus I. Rex Hung. Boh. Rom. Imp. ✠ 1564.
Conjux Anna Hungara.

Maximilianus I. Rex Hung. Boh. Rom. Imp. ✠ 1576. Vide Tab. II.
Carolus Archidux Auſtr. Dux Styriæ Carint. Carn. ✠ 1590. Con. Maria Alberti V. Bav. Ducis filia.

Ferdinandus II. Rex Hung. B. R. Imp. ✠ 1637. Con. a Maria Anna Wilhelmi Bav. Ducis filia. b Eleonora Vincent. Mantuæ Ducis filia.
Leopoldus Arch. A. Com. Tyr. ✠ 1652. Con. Claudia Ferdin. M. Ducis Hetrur. filia.
Mar. Chriſtierna ✠ 1621. Sigism. de Báthor Pr. Tranſil.

a Ferdin. III. R. H. B. Rom. Imp. ✠ 1657. C. a Mar. An. Phil. III. Hiſ. Reg. filia. b Mar. Leopoldina Leop. Tyrol. filia. c Eleon. Car. Mant. D. fil.
a Leopol. Archid. Epiſc. Argent. Paſſav. Halberſt. Oloin. M. Magiſt. Ord. Teutonici ✠ 1662.
Ferdinand. A. A Com. Tyr. ✠ 1662. C. Anna Coſmi II. M. D. Hetr. filia.
Maria Leopoldina Ferdinandus III. R. Hung.

Claudia Felicitas. Leopoldus M. Rex Hung. Boh. Rom. Imp. Vid. Tab. IV.

a Ferdinand. IV. Rex Hung. Boh. ✠ 1654.
a Leop. M. R. H. Rom. Imp. Vid. Tab. IV.
a Maria Anna Philippus IV. Rex Hiſp.
b Carol. Joſep. A. Epiſc. Paſſav. M. Ordin. Teuton. Mag. ✠ 1664.
c Eleonora Maria a Michael R. Pol. b Carol. Lotharing. Vid. Tab. V.
c Maria Anna Joſepha. Joannes Wilhelmus Elector Palatinus.

[redacted]

FERDINANDUS II.

REX XLIII. ROM. IMP.

A. C. M D C X I X.

FERDI-NAND. II.

I.

Quam turbata Regni initia?

A Morte Mathiæ Ferdinandus II. ad gubernanda avita Regna turbis & ſeditionibus multum concuſſa acceſſit. Bohemi ſacris a Principe ſuo diviſi, primi ſeditionis vexillum ſuſtulerunt: animos, conſilia, vires illico ſociarunt Proteſtantes Auſtriaci: Ferdinandus ipſe repente a Matthæo Thurnio Bohemicarum Copiarum Duce Viennæ obſidetur. Cives veluti ſeditionis vexillum in maxima urbis turri defixum cernerent, continuo de admittendo in urbem Thurnio conſilia agere ceperunt. Inventi ſunt, qui Duce Andrea Thonradl in aulam ſe penetrare, eodem oratore, iniquiſſima quæque ferociter a Rege Ferdinando poſtulare, optimum Principem conviciis laceſſere, admota inurbane manu huc illuc vellicare, acerbiſſimo riſu eidem illudere non verebantur. In hac tamen perverſitate rerum

[redacted]

FERDI-NAND. II.

& [illegible] lenitatem retinuit: ac cum in humanis nil pene præſidii appareret, [illegible] Chriſti Cruci affixi ſimulacrum proſtratus, Deo ſe resque ſuas ardenti prece commendavit: quo tempore, ut memoriæ proditum fuit, ea divinitus [illegible] *Ferdinande non te deſeram*: cui [illegible] eventus reſpondit. Aula Vienna quidem brevi obſidione [illegible] compreſſa fuit; poſtquam quingenti Cataphracti Equites a Dampierio Duce miſſi advenerant; quibus totidem ſe conjunxere Catholicæ Viennenſis Univerſitatis Academici, vitam pro ſalute Principis ponere parati; ſeditio tamen, quæ Provincias omnes corripuerat, nonniſi ſerius reſtincta fuit. Bohemi hæc inter eo proceſſere, ut exauctorato legitimo ſuo Principe, Fridericum Electorem Rheni heterodoxum, Regem Bohemiæ, pridie nonas Novembris ejusdem Anni MDCXIX. inauguraverint.

Unde primum bellum Bethlenianum?

II. Sic comparatis Ferdinandi rebus in Germania, nova belli tempeſtas e Tranſilvania

[redacted]

FERDINAND. II.

vania erupit. Bohemi Proteſtantes, ut Cæſarem omni ex parte concluderent, miſſa in Hungariam legatione, Regni Ordines, cum forte Poſonii agentes in fœderis & belli ſocietatem invitarant. Peſſimis eorum poſtulatis voce & ſcripto ſe oppoſuere Pazmanus Strigonienſis Archiepiſcopus, Sigismundus Forgáts, aliique, Catholici imprimis Proceres, effecereque, ut fœdus illud communi Regni nomine rejiceretur. Ea ſpe dejecti Legati, non ceſſabant privatis colloquiis quam plurimos cauſæ ſuæ conciliare, animosque Procerum diſtrahere; neque inutilem in eo poſuere operam: multi ex audacioribus Bohemici fœderis patrocinium ſuſcepere, jactantes: Viennenſis pacis capita minime obſervari, bello opus eſſe, ad eadem confirmanda; hujus autem nunquam meliorem fuiſſe, atque nunc opportunitatem. Talia cum propalam dicerentur, multorum quidem animi concitati ſunt; impetrari tamen non potuit, ut Regni Ordines illi fœderi ſe ſociarent. Itaque Bohemorum amici aliam iniere rationem: legationem ad Bethlemium decer-

O 5 nunt,

FERDINAND. II.

nunc; qui se seditionis hujus [illegible] sub-
[illegible], ad suscipiendum [illegible] appro-
se patrocinium. [illegible] Zacharias [illegible] is
negotii commissus, qui ubi in Transilva-
niam appulit, benevole a Bethlenio au-
ditus fuit: et, qui in omnem belli infe-
rendi occasionem intentus, copiosum in-
terea militem comparaverat, nec nisi spe-
ciosum quoddam velum, ut invictus arma
corripuisse videretur, expectabat. Conti-
nuo igitur factiosorum postulatis subscri-
psit, exercitumque XL. millium eodem ad-
huc An. MDCXIX. in Hungariam tradu-
xit. Præmissus cum copiarum parte Ge-
orgius Rákotzius, expeditum ubique na-
ctus iter, Cassoviam spontanea civium de-
ditione accepit: quæ urbs subinde Marci
Crisini Strigon. Canonici, Stephani Pon-
grácz & Melchioris Grodetz e S. J. Sacer-
dotum, instigante Petro Alvincio, crude-
lem in modum odio fidei Catholicæ interfe-
ctorum sanguine nobilitata fuit A).

III.

A) Gloriosorum Christi Pugilum corpora Catha-
rina Pálffi Sigismundi Forgács Palatini Vidua ali-
quanto

[redacted]

Quæ illius damna?

III. Peracta ea Tragœdia, Bethlemius triumphantis more urbem ingreſſus, dies aliquot habendis de bello in Ferdinandum ſuſcipiendo conſultationibus impendit. Poſtquam clientum ſuorum ſuffragio æquiſſimas belli eſſe cauſas pronunciaſſet A), relicta Rákotzii fidei ſuperiore Hungaria, ipſe promoto per montes itinere, tractum Thurocienſem, tum Nitrienſem, denique Tyrnaviam occupat. Hic autem inito cum Bohemorum Legatis fœdere, acceptisque XL. aureorum millibus, VIII. Equitum Legio-

quanto ſerius, indulgente Bethlemio, primum Seſſinum, tum Hertnekinum, denique Tyrnaviam ad D. Claræ ſorores transferri curavit. Romam autem pro eorum Canonizatione ſcripſere: Cardinalis Petrus Pazmanus, & Comites: Nicolaus Eſzterházi de Galantha Palatinus, Sigismundus Erdődy Illyrici Banus, Chriſtophorus Bánffi, Nicolaus de Frangepanibus, Nicolaus Porgáts de Ghymes, Joannes Pálffi ab Erdőd, Daniel Eſzterházi de Galantha, & Stephanus Patatich, die XXV. Septembr. Ann. MDCXXVIII.

A) Quam inique a Bethlemio bellum obmotum ſit, intelliges e Ferdinandi Cæſaris litteris apud Katona Hiſtor. Hung. Lib. II. pag. 240.

FERDI-NAND. II. giones Duce Franciſco Rédei ſubſidio ſuis in Bohemiam ſuppetias miſit. Ipſe progreſſus; Poſonium haud ſatis ad defenſionem comparatum una cum Regni Diademate in poteſtatem redigit. Mox percurſa ac populando Auſtria, Viennam obſidet. Verum brevi poſt ab incepta oppugnatione deſiſtendum illi fuit: nam cum imprudente ſæpe conſilio, deletis circum eam urbem incendio pagis & oppidis, terrorem ubique ſparſiſſet, vicini accolæ cum pecoribus & annona omni ad tutiora loca diffugere: unde ingens in Bethlemii exercitu fames exorta Viennenſi urbi, a Principe ſuo tum diſſidenti, ſaluti fuit: Bethlemius enim ſoluta non multo poſt obſidione Cæſarem metu liberavit. In Hungariam porro relapſus, recepta in fidem Sopronienſi Provincia cum urbe cognomine, Poſonium remeavit. Pari armorum ſucceſſu cum ceteri etiam Bethlemii Duces in reliqua Hungaria uterentur, totum pene Regnum in Tranſilvani poteſtate fuit. Procerum multi ejus furori reſiſtere non valentes tempori ceſſere. Ferdinandus communi illa calamitate

mitate commotus, quo affliĉtiſſimo Regno tranquillitatem reſtitueret, miſſis internunciis a Bethlemio inducias flagitavit, facta etiam poteſtate, per eam ab armis ceſſationem conventum celebrandi, in quo ſinguli præcipue Proteſtantes, qui læſos ſe putarent, querimonias libere proponerent, certo certius ab æquiſſimo Cæſaris animo medelam accepturi. Verum Cæſaris optimi & bonorum ſpes in irritum abiere: aderant quidem induciarum tempore Neoſolii magno numero Bethlemiani: habitæ ſunt, præſentibus exterorum Principum Legatis, de pacis ineundæ ratione conſultationes; ſed quod Hungari inter ſe diſſiderent, & Bethlemius ex Hungariæ ruinis potentiæ ſuæ acceſſionem quærens, nil minus quam pacem deſideraret, nil terminari potuit. Ne tamen nil egiſſe viderentur Bethlemiani, Petro Pazmáno Strigonienſi Archiepiſcopo, Thomæ Balásfio Bosnenſi Antiſtiti, Nicolao Eſzterházio, Georgio Homonnaio & pluribus aliis Ferdinando adhærentibus una cum Jeſuitis exilium diĉtatum eſt; tum vero die XXV. Auguſti An. MDCXX. Gabriel

FERDINAND. II.

briel Bethlemus Rex Hungariæ proclamatus Regio deinceps titulo uti cepit A). Soluto autem conventu, rurſus ad arma reditum, rurſus a Bethlemio ſociis Turcis crudelem in modum evaſtata Hungaria; ut nullus malorum finis fore videretur; niſi Ferdinandus univerſum Regnum Bethlemii libidini permitteret.

Quomodo ſopitum?

IV. Verum non multo poſt Numen clementiſſimum Ferdinandi [cauſæ æquitatem reſpexit: eodem enim anno MDCXX. die VIII. Novemb. cum in Miſſa illud Chriſti legeretur: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*; auſpiciis Maximiliani Bavariæ Ducis Fridericus Palatinus Rheni ad Pragam victus profligatusque ſereniorem Ferdinandi rebus ſcenam aperuit. Bethlemius autem fœderati Principis clade nihilo mitior in continuandi belli propoſito perſtitit. Quod ut faci-

A) Ex eo tempore in nummis & litteris publicis electum Hungariæ Regem ſe ſcripſit Bethlemius usque ad pacem Anno inſequente concluſam.

[redacted]

facilius, majoreque cum victoriæ ſpe geri poſſet, miſſis Bizantium nunciis & litteris ampliſſima Turcarum ſubſidia impetravit: queis nondum ſe tutum ſatis exiſtimans, a Tartarorum Chamo XL. prædatorum millia ſibi mitti flagitavit, ſtipendii & præmii loco liberrimam offerens ubivis per Hungariam populandi, hominesque in ſervitutem rapiendi licentiam. Deteſtandum hoc, & ſane quam barbarum hominis Chriſtiani conſilium ubi pervulgatum fuit, florentes ad eum diem Bethlemii res vehementer afflixit. Hungari enim, qui hactenus illum vel inviti ſequebantur, patriam ſuam fœdiſſimæ gentis libidini oblatam indigne ferentes, tacite primum hominis crudelitatem deteſtari; tum vero captata opportunitate ad Cæſarem redire, atque tanto numero; ut Bethlemius non immerito vereri inciperet; ne a ſuis repente deſtitutus diſcrimen aliquod adiret. Itaque tempeſtive rebus ſuis conſulturus, ſerio ad pacem applicuit animum. Neque mitiſſimus Cæſar alienam ab ea præſetulit voluntatem: quam ob rem conflatis ſine mora induciis, Ni-

FERDINAND. II.

FERDINAND. II. colſpurgum Moraviæ oppidum delectum fuit, quo utriusque partis arbitri plena inſtructi poteſtate convenirent. Aderant pro Ferdinando II. Petrus Pazmánnus Hungariæ Primas, Comes Colaltus, Nicolaus Eſzterházy: pro Bethlemio Emericus Thurzo, Joannes Sándor, & Stephanus Kaſſay. Poſt multas altercationes in hæc demum pacta conventum. Bethlemius Diademate Regio & quas Cæſari eripuerat, ditionibus reſtitutis, a ſpecioſa electi Regis Hungariæ appellatione abſtineret: Cæſar autem eum S. R. Imperii Principis titulo ornatum, Oppolienſi, & Ratiborienſi Ducatu, ſeptem item Hungariæ Comitatibus, videlicet Abaujvárienſi, Zemplinienſi, Borſodienſi, Szaboltsenſi, Ugotsenſi; & Szathmárienſi, vita ſolum comite, nullo jure ad hæredes transmiſſo poſſidendis donaret. Pax concluſa eſt ultimo die An. MDCXXI. Ejus nuncium Calendis Januarii ad Cæſarem detulit Nicolaus Eſzterházius, cujus maxime fides in Cæſarem, & conſtantia toto eo difficili bello eluxit. Idem ille poſtea a Cæſare miſſus civitates, & arces a Bethlemio

reſti-

FERDINAND. II.

reſtitutas Regio nomine occupavit. Nec mora: Hungari, qui ſeceſſerant, ad Cæſaris gratiam rediere, quos autem e Proceribus captivos apud ſe detinuerat Bethlemius, non tamen ſine litro, dimiſſi ſunt. A) Denique S. Diadema cum clenodiis reſtitutum. Hunc in modum terribilis illa procella, quæ Ferdinando certiſſimum principio ſpondebat interitum, non ſine illius gloria, & Regni commodo conquievit.

Quæ alterius belli Bethlemiani ſors?

V. Pacata Hungaria, Ferdinandus indictis Sopronium Comitiis, primum Auguſtam Conjugem ſuam, Eleonoram Vincentii Gonzagæ Mantuani Ducis filiam, quam priore Maria Anna demortua duxerat, Diademate ornari procuravit: tum vero de concordia in Hungariam revocanda, & curandis communibus Reipublicæ vulneribus egit. In locum Sigismundi Forgáts Palatinus

A) Hos inter fuit Stephanus C. Pálfi, qui pro libertate priſtina L. millia florenorum Bethlemio pendere coactus fuit, quo quidem pretio nec extrema Thracum avaritia majus exegiſſet.

FERDINAND. II.

tinus lectus Stanislaus Thurzo, belli Civilis tempore ablatorum bonorum restitutio imperata; Res politica, oeconomica, Militaris, ac Judiciorum ratio in meliorem formam revocata: Quoniam ingens monetae depravatio per eadem tempora introducta a) huic provide cautum, ac nominatim institutum, ut ad exemplum aliarum provinciarum probitas & valor Hungarici groſſi ad tres cruciferos redigeretur, atque ingenus XV. groſſi florenum *Hungaricalem* efficerent. Porro de traditis Bethlemio VII. Hungariae Comitatibus ita conventum: ut ab ejus morte ad Hungariam redirent nec quid-

a) Joachimus Leibitzer ad An. MDCXXII. haec notat: „Eodem anno monetae adulteratores ſicuti „ priori, magnum diſordinem in Regno crearunt, „ illi probam veterem monetam ubique commutarunt & in Sileſiam aſportarunt, ubi in novem „ diverſis locis eam cuderunt. Magna miſeria inter homines facta eſt, quoniam in fine nec ipſi „ adulteratores eam acceptare voluerunt, & probae „ monetae pretium valde auxerunt, ſcilicet Aureum „ pro VII. florenis.„ Haec ille Analect. Scepuſii Sac. & Prof. T. II. pag. 67.

[redacted]

FERDINAND. II.

quidquam juris in eos ſibi Transſilvani arrogarent: idcirco Caſtrorum iis in locis Caſtellanos & Præfectos ad præſtandum Regi Hungariæ fidelitatis Juramentum obſtringendos eſſe: Hæc & alia ad communem utilitatem ſpectantia videri poſſunt in Comitiorum Decreto. Opportunæ in hunc finem perlatæ leges ſpem ſanitatis faciebant; niſi eam abrupiſſet Bethlemius Ann. M. DCXXIII. nulla data cauſa, rurſum dominatus ſui augendi ſtudio in Hungariam infuſus. Vaſtatur iterum miſerandum in modum Moravia, & Hungaria cum a Bethlemianis; tum a Turcis, & Tartaris. Hos ſpoliis onuſtos ad Nitriam aggreſſus Nicolaus Eſzterházius prope internecione delevit: mille trecenti nonaginta captivi Chriſtiani in libertatem aſſerti victoriam nobilitarunt. Siniſtro ſociorum ſucceſſu commotus Bethlemius obtenta ſibi, & hæredibus arce Etsedia, pacem An MDCXXIV. iterum cum Ferdinando iniit: quam conſecutæ ſunt opportunæ ſane cum Turcis induciæ. Ad cumulum autem votorum Ferdinandi acceſſit, quod agente imprimis

FERDINAND. II.

Pazmánno & Nicolao Eſzterházio ad Palatini dignitatem evecto, ejus filius Ferdinandus III. Soproni Regio Diademate VI. nonas Decembris ſolitis ceremoniis inauguratus ſit An. MDCXXV. A) poſtquam oblatas ſibi ab Ordinibus conditiones ratas habuit.

Quæ item tertii?

VI. Non diu quies perduravit. Cum enim fatali illo, quod tricenos annos geſtum eſt, Religionis bello Germaniam ardere, Cæſaremque diſtractum cerneret Bethlemius, ea communi perturbatione privata facturus compendia, poſtquam Catharinam Joannis Sigismundi Septemviri Brandeburgici ſororem ſplendidiſſimis nuptiis ſibi Caſſoviæ copulaſſet, inſtigantibus conjuratis in Cæſarem principibus An. MDCXXVI. exhauſtam tot direptionibus, & incendiis Hungariam tertium jam invaſit, evocato in ſocietatem Budenſi Præfecto. Nihil hoc bello memorabile geſtum a Bethlemio, quod Cæſar contractis univerſis Germanicis, Hun-

A) Conſule Decreti II. Articulum 3.

Hungaricis, Illyricisque copiis ad ſexaginta armatorum millia ejus conatibus oppoſuiſſet: quin prope Ujvárinum eo anguſtiarum redactus fuit Bethlemius ſuis cum Turcis; ut internecione delendus videretur. Quo tempore homo verſutus a Vallenſteinio copiarum Duce, repugnante necquidquam Nicolao Eſzterházio Palatino, bidui induciaş impetravit, iisque fretus noctis ſilentio clam ex inſidiarum loco diſcedens, egregie Vallenſteinium deluſit. Ad extremum cum imparem ſe bello proſequendo ſentiret, nec a Turcis bello Perſico occupatis optata obtineret ſubſidia, agente Nicolao Eſzterházio Palatino, & Frangepanio tertium pacem cum Cæſare init; adjectum illius ditionibus Munkátſinum: ipſe vero ſe nec ære, nec milite Bohemis in Cæſarem auxilio futurum recepit Ann. MDCXXVIII. Huic non diu ſuperſtes Bethlemius anno inſequente die XV. Novembris ex Hydrope decedens A), Ferdinandum metu abſolvit: re-

FERDINAND. II.

A) Bethlemii elogium lege apud Czwittingerum Specim. Hung. Litt.

FERDINAND. II.

relicta Catharina Conjuge, in cujus verba Proceres jurare ante obitum coegerat. At Tranſilvani ea brevi poſt tempore exauctorata A) primo Stephanum Bethlemium Gabrielis Fratrem, tum vero hoc turbarum metu ſponte cedente, Georgium I. Rákoczium Sigismundi Principis filium eidem ſuffecere. Obſtitit quidem aliquantum Cæſar, miſitque Nicolaum Eſzterházium Palatinum, qui pactorum cum Bethlemio initorum vi, Tranſilvaniam ad Sacræ Coronæ obſequium revocaret, ac una VII. adſitos Tibiſco Comitatus, quos ille ad obitum ſolummodo obtinuerat B), in fidem reciperet. Poſterius hoc feliciter factum: illud autem quod exiguis inſtructus erat copiis Palatinus, nec quidquam tentavit. Cæſar ipſe ne ſeceſſioni occaſionem præberet,

A) Catharina non Principatu modo, ſed bonis etiam a marito relictis magna ex parte exuta, ad Catholica ſacra tranſiit, ac ſubinde Franciſco Carolo Duci Lauenburgico conjuncta vixit An. MDCXLIX. die XXVII. Aug.

B) Vide Decret. An. MDCXXII. Art. XXIX.

[redacted]

ret, Rákotzii lectionem prudenter diſſimulavit, neque jus ſuum perſequutus fuit.

Quam turbatæ res in Germania?

VI. Bethlemio An. MDCXXIX. e vivis ſublato, quietam deinceps ad obitum usque habuit Hungariam Ferdinandus. At in Germania bellum, quod ſopitum videbatur, paulo vehementius recruduit. Ob dejectum Electoratu Fridericum Palatinum Rheni Bohemiæ invaſorem, eique Cæſaris auctoritate ſuffectum Maximilianum Bavariæ Ducem offenſi Proteſtantes Imperii Principes, cum inſuper Ferdinandum in defendendo Religionis Catholicæ per Imperium Rom. principatu, in bonis Divino cultui majorum pietate & voluntate dicatis conſervandis, atque in urgenda eorum, quæ ablata fuerant, reſtitutione conſtantem cernerent; inito prius inter ſe contra Cæſarem fœdere, primo Chriſtiernum IV. Daniæ Regem, hoc vero devicto, ac ad pacem amplectendam adacto, Guſtavum Adolphum Sueciæ Regem in belli ſocietatem evocarunt. Nil hac Septemtrionis tempeſtate turbatus Cæſar, conciliatis ſibi

FERDINAND. II.

Catholicorum Imperii Principum ſtudiis, arma armis oppoſuit. Bellum is principio Wallenſteinio Duci adminiſtrandum commiſerat, mox ſumma cum poteſtate exercitui præfecit Ferdinandum III. filium, jam Hungariæ Regem; cujus auſpiciis, ut alia taceam, reportata fuit inſignis illa ad Nordlingam victoria A), ad quam non leve momentum attulit Nicolai Zrinii virtus, qui cum Hungaricis & Croaticis copiis, in Ferdinandi Regis caſtris militabat. Neque Cæſar adverſam toto eo bello habuit fortunam; præcipue poſtquam ex ipſis Proteſtantibus Imperii Principibus nonnulli, æquitate cauſæ commoti, deſertis Suecis ad Ferdinandi partes acceſſere: exitum nihilominus diuturni illius belli videre non potuit Cæſar, a filio ſubinde Ferdinando III. memorabili pace Weſtphalica terminandi B).

VII.

A) Vide Khevenhuelleri Annal. Tom. XII. pag. 1218. Kazi Hiſtor. Hung. ad An. MDCXXXIII.

B) Coaluit pax An, MDCXLVIII. IX. Calend. No-

FERDINAND. II.

Quibus mediis restituta Religio in Hungaria?

VII. Sic dum tricennali incendio conflagrat Germania, Ferdinandus Cæſar curas ſuas intendit ad Catholicam Religionem in Hungaria reſtituendam, novisque ſtabiliendam adminiculis. Præter alios difficili ea in re adjutores, præcipuus fuit Petrus Pazmanus S. R. E. Cardinalis; is cum Religionis Catholicæ ſalutem ac propagationem a recta juventutis inſtitutione pendere ſapienter intelligeret, Cæſari majorem in modum auctor fuit, ut quam plurimis Hungariæ locis Catholicos Magiſtros collocaret, litterarumque ludos excitaret, in quibus cum doctrina, fides quoque teneris mentibus inſtillaretur. Probavit conſilium Cæſar, conſtabilitoque auctoritate ſua Regia Tyrnavienſi Collegio, nova Caſſo-

P 5 viæ

Novemb. Liberum permiſſum trium Catholicæ, Auguſtanæ, & Helveticæ Religionum exercitium. Pomerania, & Bremenſis Epiſcopi ditio Suecis data: Gallis Alſatia. Plures Epiſcopatus, & Abbatiæ in Proteſtantium Principum utilitatem ceſſere. Belli & pacis hujus Hiſtoriam ceteros inter ſcripſit Bougeantius III. voluminibus comprehenſam, edidit Pariſiis An. MDCCXXVII. quo lectorem relegamus.

[redacted]

FERDINAND. II.

viæ A), Sopronii, Neoſolii, aliiſque locis Societatis Jeſu hominibus domicilia conſtituit. Paſmanus Pientiſſimi Principis munificentiæ non otioſus ſpectator, luculenta mox edidit liberalis ſui in Patriam & Eccleſiam ſtudii argumenta. Poſtquam plurium annorum induſtria & frugalitate tantum æris collegerat; ut Mecœnas eſſe poſſet, ante omnia circumſpicere cepit, qua ratione Cleri ſui paucitati & rectæ educationi in futurum proſpiceret. Opportuna ejus conſiliis videbatur urbs Viennenſis, cum quod Academia jam inſtructa eſſet; tum vero quod ab hoſtium impetu ſecuriſſima fuit. Hic itaque An. MDCXXIII. amplum & fre-

A) Caſſoviæ eas ipſas ædes Collegio attribuit Ferdinandus, quas cum Marco Criſino Strigonienſi Canonico Pongrátzius & Grodecius S. J. Sacerdotes ſanguine pro fide generoſe profuſo ſub Bethlenio nobilitaverant. Collegio An. MDCLVII. Academiam adjecit Benedictus Kisdi Agrienſis Epiſcopus, fundatis ſeveriorum diſciplinarum Profeſſoribus: voluntatem optimi Præſulis ratam biennio poſt habuit. Leopoldus Cæſar, ſolitaque Academiarum Privilegia Caſſovienſibus impertitus fuit.

[redacted]

ſrequens juniori Clero excitavit Collegium, ab ejus nomine *Pazmanianum* nuncupatum: ex quo ſubinde plurimi doctrina, & virtute inſignes viri, præcipuique Eccleſiæ Hungaricæ Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Cardinales prodiere. Subinde An. MDC. XXXI. Seminarium S. Stephani Tyrnaviæ, quod tenuibus initiis ſub Oláho ſurrexerat, novis iisque perpetuis auxit redditibus. His cum Clero ſuo abunde jam conſultum exiſtimaret Pazmanus, ad Nobilis Hungaricæ juventutis commoda procuranda cogitationes tranſtulit. Poſtquam igitur Piſeti jus jam pene ſepultum, Strigonienſibus Metropolitis reſtitui impetraſſet, celeberrimum hodie Nobilium Convictum, probante Urbano VIII. Pontifice ad exitum deduxit An. MDCXXVI. A) auxit FERDINAND. II.

A) Convictus hic Auguſtæ Mariæ Thereſiæ munificentia inſtauratus, hodie ſub cura Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. Franciſci Xaverii L. Baronis Splény de Mihálydi S. Jacobi de Simighio Abbatis infulati & numero Juventutis nobilis, & virtutum non minus, quam ſcientiarum & artium ſtudiis florentiſſimus evaſit.

FERDINAND. II.

auxit adhæc Tyrnaviam S. Adalberti Seminario. Demum ubi Poſonii, & Szathmarini ludos litterarios aperuiſſet, biennio ante obitum Tyrnavienſem condidit Academiam, aſſignato Theologiæ & Philoſophiæ e Societate Jeſu Profeſſoribus perpetuo ſtipendio a). Ad cumulum Tyrnaviæ ornamentorum acceſſit Nobiliſſimi plane operis Baſilica, memoriæ D. Joannis Bapt. dicata, quæ hodiedum conditoris ſui C. Nicolai Eſzterházy Regni Hungariæ Palatini immortale nomen in fronte oſtentat. His itaque adminiculis, & Synodorum celebratione res Catholica felicius reſurgere cepit: lætiſſimi autem Pazmani curarum fructus ceteris Antiſtitibus & ſucceſſoribus ſtimulo erant, ut conſimilibus ad eundem finem mediis uterentur.

Qua laude vitam poſuit Ferdinandus?

IX. Reſtituta hunc in modum re Catholica, & ſua Hungariæ pace, Ferdinandus poſtquam in Comitiis Imperii filium ſuum

---

a) Adi Hiſtoriam Univerſitatis Tyrnavienſis conſcriptam a P. Franciſco Kazi e S. J.

[redacted]

ſuum Ferdinandum III. jam Hungariæ Regem, Cæſarem creari procuraſſet; Ratisbona redux, exaſperato per tantum iter morbo, ultimis morientium religionibus piiſſime procuratus, in cœlum abiit XV. Calend. Martii An. MDCXXXVII. ætatis LIX. Præfuit Imperio Romano annis XVIII. Hungariæ XIX. Bohemiæ XX. Corpus ejus, ut ultimis caverat tabulis, Græcium delatum, pone Mariæ Annæ Bavaræ Conjugis primæ oſſa A) in adſito ædi ſacræ Mauſoleo fuit repoſitum. Magni hujus Principis laudes, quibus inclaruit, tot tantæque ſunt; ut a me compendio etiam recenſeri nequeant. Non enim ei vulgaris quædam, & uſitata; ſed eximia prorſus virtus inerat, morumque ſanctimonia: quæ ſublimi illi, in quam Dei providentia evectus FERDINAND. II.

A) Ex prima Conjuge Maria Anna IV. proles reliquit: Ferdinandum III. Imp. & Regem. Leopoldum Wilhelmum Argentin. Paſſav. Halberſtad. & Olomucenſem Epiſcopum, Magiſtrum Ordinis Teutonici. Mariam Annam Maximiliani Bavariæ Ducis; Cæciliam Renatam Uladislai Poloniæ Regis Conjugem. Vide Genealog. Reg. Hung. Tab. III.

FERDINAND. II.

ctus erat, Dignitati inſolitum adjecit ſplendorem. Ardentiſſimus illius in Deum amor, voluntatisque ſuæ cum Divina conjunctio mater fuit illius conſtantiæ, quam inter adverſa, & proſpera hilari ſemper vultu præſetulit. Singularis in Numen Euchariſticum reverentia, Auſtriacæ domui hæreditaria: in Deiparam Virginem, Angelos tutelares, & Divos Cæli indigites pietas; ſanctum ſui ad flagella usque, & ſanguinem odium; preces in plures quotidie horas productæ, cæteraque pia opera non aulam modo; verum univerſas Provincias in Ferdinandi admirationem rapiebant A). His ille Divinam ſibi promeruit opem: in his ſpem ſuam ita reponebat; quaſi in armis, quæ tamen diligenter apparabat, nihil eſſet præſidii. An non prodigio ſimile videri poteſt? quod univerſo

prope

A) Qui res Ferdinandi, ac nominatim virtutes uberius pertractatas lege e cupit: adeat Khevenhuelleri Annalium Appendicem. P. Guilielmum Lamormaini in vita Ferdin. Franciſcum Kazy in Hiſtor. Hung. ad An. MDCXXXVII.

[redacted]

[redacted] FERDINAND. II.

prope orbe in perniciem ejus conjurato, non modo exitium evaſerit incolumis; verum etiam glorioſe triumpharit. Germania, Bohemia, Auſtria, Moravia, Hungaria, Tranſſilvania ſub ipſum Regni exordium arma in Principem ſuum Ferdinandum corripuit, nullis pene copiis inſtructum; nullis adjutum auxiliis: lætiſſimi hoſtibus initio erant ſucceſſus; nemo fuit, qui non interiturum Ferdinandi Regnum ominaretur: & en verſa repente ſcena, de his omnibus victor evaſit: Regna & Provincias ad obſequium revocatas paulo firmius ſibi, & ſucceſſoribus ſuis conſtabilivit, quodque in tanta rerum omnium perturbatione ne ſperari quidem potuit, Religionem Catholicam, ejusque miniſtros iisdem, unde exciderant, locis feliciſſime reſtituit. Adeo nempe Deus pios fideleſque ſibi Principes, cum humana omnia deſunt auxilia, tueri ſervareque novit, ut ſupremum Univerſi hujus moderatorem in cælis exiſtere intelligeremus. Illud ſingulare: Ferdinandum cum a ſuis, tum ab hoſtibus ipſis ob inſignem virtutem fuiſſe æſtimatum.

FERDI-
NAND. II.

tum. Muſtapha Purpuraque Budenſis pronunciare non dubitavit: *Ferdinandum ſanctum eſſe: Deum cum illo, & pro illo pugnare.* Guſtavus Suecorum Rex dicere eſt ſolitus; *ſibi ſolam Ferdinandi virtutem eſſe formidabilem.* Gabriel Bethlenius Tranſſilvaniæ Princeps ajebat: *Periculoſum eſſe pugnare contra Ferdinandum, ut quem nec adverſa dejicerent; nec proſpera extollerent.*

FERDINAND. III.

REX XLIV. ROM. IMP.

A. C. MDCXXXVII.

FERDI-
NAND. III.

Quis ſtatus Reipublicæ in aditu Regni?

I.

LÆtiſſimi erant Cæſareorum armorum per Germaniam ſucceſſus, frequentibusque cladibus atterebantur hoſtes, cum Ferdinandus III. Regnum adiit. At hæc tanti non erant, ut luctum, quem ex Parentis optimi morte ille acceperat, tam cito oblitterarent. Dolorem inde ortum auxit

[redacted]

FERDINAND. III.

xit properatus poſt Cæſarem, XIV. Calendas Martii, Petri Pazmani Cardinalis Strigonienſis Archiepiſcopi obitus A). Cujus viri fides, religio, doctrina, & indefeſſa induſtria multum ad reſtituendam Regno pacem, eamdemque conſtabiliendam momenti attulerat, quod demortuus Cæſar adeo ejus uteretur conſiliis; ut nihil gravioris momenti; niſi exquiſito prius Pazmani judicio conſtitueret. Hujus itaque viri prudentia neceſſaria videbatur Ferdinando III. ſub id Regni exordium, ſeceſſionem quampiam brevi pariturum. Convocaverat ille eodem adhuc anno MDC. XXXVII. ad diem XXI. Septembris Poſo-

A) Conditus eſt Cardinalis Petrus Pazmanus ad pedem Mauſolei S. Joannis Eleemoſynarii, quod ipſe eidem marmoreum cum argenteo Sarcophago, addita Lampade argentea, lumineque perpetuo Anno MDCXXXII. erexerat. Res viri de Eccleſia, & Hungaria meritiſſimi geſtas, & ſcripta, diſce ex Péterffo Concilior. Hung. Tom. II. pag. 220. ex Schmitth in Archiepiſcop. Strigon. P. Kázi Hiſtor. Hung. Lib. V. Purpura Pannonica P. Samuelis Timon.

FERDINAND. III. nium Regni Ordines, de Reipublicæ commodis acturos: verum conventus iſte omiſſis communibus Regni negotiis, ad privata mox abiit diſſidia, & graviſſimas de religione altercationes. Diſceptationibus occaſionem illud præbuerat, quod interea temporis plurimi e Magnatum, & Nobilium ordine ad Catholicam religionem reverſi, templa, quæ hactenus Proteſtantium uſibus deſervierant, ſibi, Catholicisque vindicaverint. Itaque Viennenſis pacificationis puncta violari querebantur Proteſtantes, ædesque ſacras repetebant; negabant Catholici. Sic longius tempus inter contentiones exactum, tantum Palatino Nicolao Eſzterházio conſcivit faſtidii, ut Magiſtratu decedendi veniam peteret. Cæſar virum ſibi utilem conſolatus, porro in dignitate confirmavit, ſopitisque præſentia ſua diſcordiis, Ordinum ſtudia ad Rempublicam traduxit. Perlatæ poſtea ſunt LXXII. leges ad eas temporum rationes per quam accomodatæ A). Præterea Maria Auguſta Phi-

A) Conſule Decretum I. Ferdinandi III. in Codice Juris Patrii.

[redacted]

Philippi II. Hiſpaniarum Regis filia, Cæſaris Conjux XVI. Calendas Martii Anno MDC. XXXVIII. inaugurata. Valuere hæc comitia ad ſopienda aliquantum popularium diſſidia; minime vero ad eadem penitus eradicanda: nam ut quisque ægrum attulerat animum, ita etiam ſecum abſtulit, opportunumque votis ſuis tempus præſtolabatur.

FERDINAND. III.

Unde ortum bellum Rákotzianum?

II. Sic comparatis Hungarorum animis, Georgius I. Rákotzius, alias ſenior dictus, in omnem evigilabat occaſionem, qua privatas familiæ ſuæ res augeret, poſterisque ſuis Regnum in Tranſilvania conſtabiliret. Bethlemii Principis potentia e ruinis Hungariæ ad ſummum apicem evecta, arrogantem, & avaritiæ deditum hominem A) ad eandem aleam tentandam accendebat: verum obſtabant alienati domi ſuorum animi, cum Stephano item Bethlemio, de-

Q 2 mor-

A) Quam avaris artibus ſuos ditare ſtuduerit in Transſilvania, diſces ex Joanne Bethlemio. Rerum Transſilv. Lib. I.

FERDI-NAND. III. mortui Principis fratre, Turcarum ope ſubnixo, lites eousque exercitæ; ut pene actum de Principatu retinendo videretur. Reddita demum domi pace, Turcisque ſibi conciliatis, nihil jam cunctandum ratus Hungariam invadere conſtituit: eumque in finem per occultos nuncios fœdus cum Suecis Germaniam tum vaſtantibus init. Ut autem iniquis ſuis conſiliis ſpeciem quandam juſtitiæ obtenderet, atque una quam plurimos ex Hungaris ad ſe attraheret, ſpecioſum illud velum, quo deceſſores ejus utiliter in rem ſuam uſi ſunt, rurſum producit: vulgatis litteris, ſpargit ſe ad religionum Proteſtantium injurias vindicandas, gentisque libertates tuendas in arenam deſcendere. Reſpondit conſilio ſucceſſus: ſine mora vulgus omne ab aratris ad arma convolat, cuncta ſibi religionis prætextu licere exiſtimans. Nec deerant e Nobilibus, qui non tam fidei Zelo; quam rapinis res ſuas augendi ſtudio, ad Rákotzii caſtra confluxere. Cæſar de peſtilentibus his conſiliis edoctus, ubi Legatione Rákotzii animum necquidquam ad

æqui-

[redacted]

æquitatem reducere ſtuduiſſet, promulgatis per Hungariam litteris, populares ab ejus ſocietate abſtrahere conatus fuit, continuoque Palatinum Nicolaum Eſzterházium cum copiis in ſuperiorem Hungariam miſit, eos, qui a Rege & Patria ſtare vellent, ſub ſigna ſua auctoraturum.

FERDINAND. III.

Quo ſucceſſu geſtum?

III. Interea Rákotzius juſto cum exercitum in Hungariam An. MDCXLIV. illapſus, receptis in caſtra finitimis, Caſſoviam deditione accepit: inde progreſſus creſcente in dies factioſorum numero, montanis civitatibus potitus, populationes, & incendia ad Poſonienſes usque muros ſparſit. Alternabat hæc inter fortuna: Cæſarei Eſzterházio Palatino Duce jam victores, jam victi ex acie excedebant, prævalentibus ſemper numero Rákotzianis. Et vero fortuna ſua turgidus Rákotzius bellum non ſine patriæ damno proſecuturus erat; niſi, quæ hactenus ei præſto erant, Turcarum auxilia repente ſubtracta fuiſſent. Cæſar enim, ut eos a Rákotzii ſocietate averteret, magni pretii muneribus placatos Anno

FERDI-NAND.III. no MDCXLV. ad ſanciendas in XX. annos inducias adduxerat. Hoc itaque ſulcro dejectus Rákotzius pacem, quam Cæſar Suecici belli mole preſſus offerebat, libenter admiſit.

Quo exitu terminatum?

IV. Habitus imprimis eam in rem erat Conventus Tyrnaviæ An. MDCXLV. quo ex parte Cæſaris Georgius Lippay Strigonienſis Archiepiſcop. Nicolaus Eſzterházy Palatinus, tum Tieffenbachius, & Queſtenbergius convenerant. Sed fruſtra, quod Rákotziani dura nimium ſecum ferentes poſtulata tractationem omnem abruperint. Egit deinde cum Rákotzio Cæſar per Joannem Tőrőſium Cameræ Poſonienſis Conſiliarium. Pax demum confecta eſt condicionibus familiæ Rákotzianæ faventiſſimis; ut appareret, in eo bello gerendo Rákotzium non tam religionum, quemadmodum jactabat, quam ſtirpis ſuæ locupletandæ habuiſſe rationem. Præter VII. Hungariæ Comitatus ea, qua Bethlemio olim, conceſſos lege; Tokainum, Regetzium, aliasque arces, & dominia obtinuit

nuit Rákotzius A). Pax menſe Auguſto Anno MDCXLV. coaluit. Cui ingenti Regis, & Regni totius luctu Nicolaus Comes Eſzterházi de Galántha Regni Hungariæ Palatinus die XI. Septembr. immortuus fuit B). Proteſtantes ea pace magnas ſpes con- FERDINAND. III.

A) Pacis conditiones recitatas vide apud Franciſcum Kázi ad calcem libri VI. Hiſtor. Hung.

B) Nicolaus Eſzterházi primis ævi ſui Heroibus accenſendus, natus eſt acatholicis parentibus Franciſco Eſzterházio & Sophia Illesházia, Stephani Palatini ſorore: Catholicæ Religionis, quam in juventute amplexus erat, cauſa aliquamdiu a Paterna domo exul vitam agere coactus, poſt varias viciſſitudines & honorum gradus, ad ſupremam Palatini dignitatem feliciter conſcendit. Is pervetuſtam familiam ſuam cum per ſe, tum per Paulum & Danielem fratres ad avita ſacra traductos florentiſſimam reddidit. Corpus illius, ut moriens caverat, in Tyrnavienſi D. Joannis Bapt. Baſilica Eſzterházianæ familiæ Mauſolæo illatum fuit. Virtutes autem Nicolai ut: ardens Religionis ſtudium, conſtans in Reges ſuos fides, ſincera in Patriam caritas & in memoria hominum, & in monumentis, & denique in ejus poſteris & nepotibus etiamnum vivunt. Reliquas Nicolai Palatini laudes vide apud Kázi ad annum MDCXLV. & in Palatinis Reg. Hung.

FERDINAND. III.

conſecuti, poſtulata ſua in Comitiis Ann. MDCXLVII. integrarunt, atque nonaginta templa Catholicis erepta, uſibus ſuis deputari impetrarunt A). Quo obtento nihil deinceps moræ fuit; quo minus Ferdinandus IV. Cæſaris filius, XVI. Junii ſolenni ritu inaugurаretur, poſtquam conditionibus, quæ ſibi oblatæ erant, prudens volensque ſubſcripſiſſet.

Nihilne deinceps turbarum?

V. Ex eo tempore Ferdinandus quietum utcunque habuit Regnum: cum Turcis An. MDCXLV. ſtabilitæ erant induciæ; ſed quæ parum religioſe ab eis obſervatæ ſunt; neque enim a ſolitis populationibus ſuis abſtinere poterant: unde noſtris non raro ad vim repellendam arma corripere neceſſe fuit, ſucceſſu fere ſecundo. Talis erat ea victoria, quam Adamus Forgátſius de prædatoribus Turcis ad pagum Nagy Vezekény An. MDCLII. retulit. Multis captivorum Chriſtianorum millibus ea ſaluti

A) Lege Acta Comitiorum ejusdem anni in Codice Juris Patrii. Decreto II.

[redacted]

luti fuit; ſed quam quatuor Eſzterházio- rum A), in prælio cæſorum jactura funeſtavit Cum Tranſilvanis pariter nihil negotii erat Ferdinando: neque enim iis, quæ ibi enatæ fuere, turbis ſemet implicare voluit. Demortuo Anno MDCXLVIII. Georgio Rákotzio ſeniori ſucceſſerat filius Georgius, qui e maxima fortuna præceps actus humanæ inconſtantiæ poſtea exemplum evaſit. Is paternæ & avaritiæ & ambitionis hæres, incaſſum a genitore quæſitum Regni Polonici Diadema variis artibus ſibi aſſerere connitebatur. Magna principio ſpes affulgebat, quod largitionibus multos Senatorum Regni ſibi conciliaverat; tum vero opportune oblato Reipublicæ Polonicæ contra Tartaros Præcopenſes ſubſidio: quo beneficio ita ſibi Joannis Caſimiri Regis, & Procerum voluntates devin-

FERDINAND.III.

A) Erant hi: Ladislaus Nicolai Palatini; Franciſcus, Pauli; Thomas & Caſparus Danielis fratrum Eſzterháziorum filii: quorum exuviæ ſolenni pompa ad oſſa majorum in gentilitio ſepulcro Tyrnaviæ apud PP. Societatis Jeſu ſunt conditæ eodem anno VI. Calendas Decembris.

FERDINAND.III. xerat; ut illi communi conſenſione filium ejus Franciſcum I. Rákotzium A) electum jam Tranſilvaniæ Principem, indigenatu apud ſe donatum, Regni Polonici hæredem conſtituerint. Sed enim faventiſſimam hanc familiæ ſuæ deſtinationem corrupit Parentis Regnum præ filio aucupantis ambitio. Cum enim hinc Sueci, inde Cozaci Poloniam fœde vaſtarent, Georgius Rákotzius An. MDCLVII. a Republica in ſubſidium vocatus, maluit ejus hoſtibus Suecis ſemet conjungere; quam promiſſam filio ſuo ſucceſſionem novo beneficio affirmare B); idque

A) Franciſcus hic poſtea Sophiæ de Báthor Matris opera ad Catholica ſacra traductus, ducta in matrimonium Helena Zrinia, genuit Franciſcum filium civilis ſub Joſepho Imp. belli Ducem, ut poſtea narrabitur.

B) A Carolo nempe Sueciæ Rege ſeductus fuerat Rakoczius; quocum ita ille convenerat, ut confecto mutuis viribus feliciter bello Poloniam inter ſe partirentur: Rakoczio Polonia minor, Maſſovia, Ruſſia Rubra, & aliqua Lithuaniæ portio; cetera autem Polonia, Lithuania, ac Pruſſia Sueco obtingeret. Hac

[redacted]

que maximis Turcarum ingratiis, qui diſerte vetuerant; ne Polonis moleſtus eſſet. Atque hinc Rákotzianæ domus ruina ſuam ſumſit originem. Nam præterquam, quod inita parum decora cum Polonis pace, domum redux a Tartaris obrutus, deletis aut in ſervitutem abductis Nobilitatis Transſilvanicæ copiis ægre fuga ſalutem invenerit, Turcæ ea inobedientia offenſi, miſſis continuo nunciis graviſſimarum pœnarum comminatione jubent, exauctorato Rákotzio alium legi Principem. Erat hic Franciſcus Rédei, ſed qui, ut ſe ab æmuli impetitionibus liberaret, ſponte Principatu deceſ-

Hac ſpe animatus Rakoczius An. MDCLVII. Poloniam invaſerat, Polonis necquidquam oblata poſt Joannis Caſimiri Regis obitum Regni Corona bellum deprecantibus. Cracovia & Varſavia nullo negotio in poteſtatem redacta conſilii exequendi fiduciam auxerant; at enim Danis, quibuscum Poloni recens fœdus inierant, in Sueciam irrumpentibus Carolo ad aras & focos tuendos domum revocato, res Rakotzii in Polonia penitus collapſæ ſunt, adeo ut conditionibus parum decoris reditum a Polonis mercari coactus, a Tartaris ſubinde clade affectus ac a Turcis Regno privatus, dum aliena invadit, ſua amiſerit.

FERDI- NAND.III.

elogium. Triennale in Germania extinxit incendium. In eo, deceſſorum Hungariæ Regum in D. Mariam Virginem pietati cumulum adjecit; quod Viennenſem Academiam ad tuendum juxta Pauli V. & Gregorii XV. conſtitutiones Illibatum Virginis conceptum, exemplo, & authoritate ſua adduxerit, pinque illi conſuetudini initium fecerit, qua Cæſares die VIII. Decembris annis ſingulis ſolenni voto ad D. Stephani nuncupato, eximiam hanc prærogativam Magnæ Dei Matri aſſerere ſolent. Mos hic Viennenſis Univerſitatis ad ceteras Hungariæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæque Academias propagatus Ferdinandi III. commendat pietatem in Mariam Hungarorum Dominam: qua quidem pietate ſtante, feliciter res Hungarica ſtetit; intereunte perire cepit.

FER-

FERDINAND. III.

Hac ſollicitudine liberatus Cæſar optimus, IV. nonas Aprilis An. MDCLVII. animam plurimis decoram virtutibus ad capienda in cœlis præmia transmiſit, in Cæſareo apud PP. Capucinos Mauſolæo conditus, pluribus e triplici connubio relictis poſt ſe liberis A). Rexit annis fere decem Hungariam, ceterasque Provincias, inſigni cum religionis, ſapientiæ, clementiæ, ac imprimis juſtitiæ laude. Certe & vivens crebrius, & moriens teſtatus fuit; *nil ab ſe unquam in rebus ad juſtitiam ſpectantibus admiſſum fuiſſe, cujus illum pænitere poſſet.* Pulcrum ſane, & dignum Principe elo-

A) Ex Conjuge I. Maria Anna ſuſtulit Ferdinandum IV. Regem, Leopoldum Regem & Imp. Mariam Annam Philippo IV. Hiſp. Regi nuptam ex II. Maria Leopoldina Leopoldi Archiducis filia: Carolum Joſephum Paſſav. &c. Epiſcopum, Magnum Ordinis Teutonici Magiſtrum. Ex III. Eleonora Mantuana: Eleonoram Michaelis Poloniæ Regis Conjugem, hoc demortuo Carolo V. Lotharingiæ Duci invictiſſimo traditam. Mariam Annam Joannis Wilhelmi Palatini Rheni Conſortem. Vide Geneal. Reg. Hung. Tab. III.

FERDINAND. IV.

viciniæ mortis ſuſpicione accepta, [illegible] tum innocenter actæ vitæ præbuit documentum, cum intrepidus adſiſtentibus diceret: *Eundum mihi eſt ad noſtrum Dominum, & Beatiſſimam Matrem Dominam noſtram cum Catholica fide*: quo etiam corporis vinculis ſolutus abiit VII. idus Julii An. MDCLIV. Tantæ ſpei Principis jacturæ univerſæ familiæ Cæſareæ luctus reſpondit. Qui adoleſcentis Regis animum penitus noverant, non dubitabant pronunciare, Carolum V. Cæſarem in Ferdinando renaſci. Has itaque ſpes ille omnes tumulo ſecum intulit non tam morbi, quam imperite medentium vitio A). Quamvis autem Ferdinandus ſolum Hungariæ Regis nomen geſſerit, ob ſacri tamen Diadematis reverentiam eum in ſerie Regum noſtrorum, ut ante Ladislaum III. infantem, collocandum cenſuimus.

LEO-

A) Inſpice notas ad Mellenium pagina 22[illegible] Litt. d.

[redacted]

LEOPOLDUS M.

REX XLVI. ROM. IMP.

A. C. MDCLVII.

LEOPOLDUS M.

I.

Quam fauſto omine inauguratus?

Filiorum altero, quem mox diximus, elato, nihil antiquius fuit Ferdinando III. Cæſari; ac ut alterum, eumque unicum ſuperſtitem Leopoldum Imperio Cæſarem, Hungariæ Regem daret. Itaque a ſtudiorum curis avocatum Auſtriæ moderandæ præfecit; ut ſe Duce, & Magiſtro, ac uſu ipſo difficillimam regendi artem condiſceret: Tum vero Ordines Hungariæ ad IX. Calendas Februarii An. MDCLV. Poſonium evocavit. Cupiebat Cæſar ad evitandas, quas electionis tempore novis Regibus Hungari proponere tum ſolebant, paulo duriores conditiones, ac diſſidiorum omnium radicem tollendam, ſublata electione hæreditariam eo tempore admitti ſucceſſionem, atque ante cetera negotia omnia filii ſui electionem, & inaugurationem peragi. Hunc in finem poſt Pauli

LEOPOLDUS M.

Comitis Pálffi ab Erdöd viri bello, & pace clariſſimi obitum vacante Palatini dignitate, Georgium Lippai Strigonienſem Archiepiſcopum Locumtenentis nomine Regno præficere in animum induxerat, quod hujus viri fide, & induſtria conſilia ſua e voto ceſſura ſperaret. Verum cum Ordines Regni acriter urgerent Palatini inſtitutionem, ceſſit demum Ferdinandus III. Cæſar, oblatis pro ea dignitate quatuor Candidatis: C. Franciſco Veſſeléni de Hadad & Murány, C. Stephano Csáki de Kőröſztſzegh, C. Stephano Tőkőli de Kesmárk, & B. Rédej. Vota omnium in Veſſelénium conſpirarunt. Creato Palatino, dilata interim Leopoldi electione, de Republica conſultationes habitæ, innumeræque leges perlatæ: ut de alendo ſtipendiario milite Hungaro, concredendisque ejus tutelæ limitibus, de vectigalium ratione, de extero milite intra ſpatium triennii dimittendo, & citra Regni conſenſum minime inducendo, de illius licentia coercenda, de Cameræ Poſonienſis a Viennenſi independentia, de redimendis XIII. Scepuſii oppidis, de nego-

tiis

[redacted]

LEOPOLDUS M.

tiis Hungaricis per populares tractandis, de Cæſareo Bizantii Oratori Hungaro adjungendo, de Græcorum, & Raſcianorum mercatorum perfidia reſtringenda, iisdemque conſueto cæteris tributo ſubjiciendis. De octavalium judiciorum diligenti celebratione, aliisque a). Quibus poſtquam Cæſar Ferdinandus aſſenſiſſet, conſpirantibus omnium votis Leopoldus quintum ſupra decimum egreſſus annum, citra tamen hæreditariam ſucceſſionem Rex acclamatus eſt, prius tamen certis conditionibus ſubſcribere coactus. Inauguratio V. Calendas Julii, quo D. Ladislai Hungariæ Regis memoriam celebramus, peracta, omnibus feliciſſimi inſtar ominis fuit. Vaticinabantur nempe Leopoldum non abſimilem fore D. Ladislao, qui cum inſigni vitæ ſanctimonia militarem ſcientiam feliciter copulavit, anguſtosque id temporis Regni Hungarici fines plurium ditionum acceſſione auxit. Neque vanum fuit augurium;

R 2 Leo-

a) Conſule An. MDCLV. Decretum nominatim Artic. 2.

LEOPOLDUS M.

Leopoldi enim pietate, & auſpiciis, dejectis e diuturna poſſeſſione, proculque relegatis Ottomannis, Hungaria non ſolum fœdam exuit ſervitutem verum etiam brevi temporis ſpatio id omne recuperavit, quod duorum prope ſeculorum laboribus Turca illi ante detraxerat. Sed hæc multo ſerius, nec niſi poſt graviſſimos labores toleratos acciderunt.

Quid ei negotii Transſilvaniæ cauſa?

II. A morte igitur Patris optimi Ferdinandi III., Regnum An. MDCLVII. auſpicatus, profligato armis ſuis Sueco, aſſerta legitimo Regi Joanni Caſimiro per pacem Velavienſem Varſaviæ poſtea in Comitiis An. MDCLVIII. confirmatam Polonia, Imperii Coronam adeptus A) futuræ præluſit magnitudini. Domi res mox turbari ceperant Transſilvaniæ cauſa. Miſerat, ut ſtrictim alibi attigimus, Mahometes Turcarum Imperator ingentibus inſtructum copiis Vezirium in Transſilvaniam, primum ut crude-

A) Peracta eſt inauguratio Francoforti die V. Auguſti An. MDCLVIII.

[redacted]

crudeles a Georgio II. Rákotzio Principe ob illatum fœderatis Polonis bellum pœnas repoſceret, tum vero ut Ottomanicum in ea Provincia dominatum conſtabiliret; Vezirii juſſu exauctoratus, ac e Transſilvania ejectus Rákotzius, atque in ejus locum An. MDCLVIII. ſubrogatus Achatius Bartsaj: ſed neque hic Ottomannicus conquievit furor: Nam ut Transſilvanos a reducendo Rákotzio, cui Bartsajus certis pactis principatum reſtituere in animum induxerat, abſterrerent, longiori tempore cædibus inſuper, rapinis, incendiis, promiſcua etiam in honeſtiſſimas Virgines, & matronas libidine, exaggeratis vectigalibus, & extremi excidii comminatione divexata gens univerſa. Has inter Turcarum graſſationes Cæſar de communi ſalute ſollicitus, re cum Veſſelenio Palatino communicata, copioſum militem exterum Duce Comite Montecuculo in adſitam Tibiſco Regionem proficiſci, Hungaroſque earum partium accolas eodem ſine mora confluere jubet. Non erat tunc mens Cæſaris; ut Rákotzium qui iis rerum anguſtiis ad ſe contu-

[redacted] LEOPOLDUS M.

LEOPOLDUS M.

gerat, principatui adverſum immenſam Turcarum multitudinem reſtitueret; verum ut objectis opportune copiis prohiberet, ne Turcæ vel invaderent Hungariam, vel ſibi ea tempeſtate Tranſilvaniam omnem ſubjugarent. Ut autem omnem Rákoczii in Hungariam perſequendi cauſam Turcis præcideret Cæſar, arces Rákotziani juris Tibiſco proximas Cæſareo milite communiri voluit, ubi tempeſtas reſederit ſuo reddendas Domino. Non multo poſt tempore profligato ad Claudiopolim, ac ſubinde Varadini ſublato Georgio II. Rákotzio Anno MDCLX. Joannes Keményius, Barcsajo ipſo turbarum calamitatumve metu cedente, principatum anno inſequente conſecutus, ſuo, & ſibi adhærentium nomine Leopoldi Cæſaris patrocinium per Legatos imploravit. Reddita illi perquam liberaliter ſunt auxilia; ſed adverſum Turcarum in viſceribus hærentium vim minime ſuffectura. Nil intentatum reliquit Keményius, quo ſe in principatu conſtabiliret, utque ſe æmulo liberaret, Achatium Bartsaj Principem, qui facta renunciatione

ultro

[redacted]

[redacted]

LEOPOLDUS M.

ultro ſe illi dediderat, contra datam fidem clam interfici curarat, una cum Andrea Bartsaj illius fratre, verum ea ipſa, quibus ad Regnum ſibi firmandum uſus fuit adminicula, exitium ei attulere, exulceratis ob plurium Virorum cædem Transſilvanis. Nec Turcæ induci unquam poterant; ut Keményii Principis electionem ratam haberent, partim quia Bartsaj clientis ſui cædem illius juſſu peractam indigniſſime ferebant, partim quod Principem, Hungariæ Regi clientela obnoxium, peſſimis ſuis conſiliis nequaquam opportunum fore exiſtimabant. Id enim dudum jam cavebant Turcæ, ne Transſilvani fœdere quodam cum Hungaris copularentur, ex id genus conjunctione certiſſimam dominatus ſui ruinam ominantes. Cæſar autem nihil æque in votis habuit, atque ut amicitia Hungariam inter, & Transſilvaniam toties incaſſum tentata reſtitueretur, quo ſic unitis utrinque viribus Ottomanni oppugnari, vincique facilius poſſent.

LEOPOLDUS M.

Quæ primi belli Turcici ſemina?

III. Hæc cum eſſent Viennenſis, & Byzantinæ aulæ conſilia, Turcæ graviſſimis populationibus, & majorum adhuc malorum comminatione Tranſſilvanos eo adduxere; ut repudiato Joanne Keményio, Michaelem Appaffium ſibi Principem legerent: cui etiam in Comitiis An. MDCLXI. ad XI. Calendas Decembris fidei ſacramentum ab Ordinibus dictum. Animadverſum deinde a ſagacioribus; Turcas, niſi vicinum Cæſaris exercitum, quem numeroſiſſimum rumore vulgi decepti ſibi perſuaſerant, reformidaſſent; omiſſa novi Principis electione, Tranſſilvaniam ad ceterarum Turcicarum Provinciarum formam, tum redacturos fuiſſe. Certatum poſtea Keményium inter, & Appaffium varia fortuna. At quia Montecuculus conſiderata ſuorum paucitate cau-
tius, quam fortius rem agebat, Kemé-
nyius Princeps opportunis deſtitutus aux-
iliis ſuccubuit demum, atque in pugna
Segesvárum An. MDCLXII. vitam poſi
Eo æmulo liberati Turcæ ſociis Vala
majori, quam ante crudelitate Regn
evaſtarunt. Illorum juſſu proſcripti e Tr
ſilv

[redacted]

ſilvania omnes, qui Kemény io ante, atque Cæſari adhæſerant. Poſt in felicem Kemény ii caſum, Leopoldus de Transſilvania ſibi novis pactis aut unienda; aut ſubjicienda ſollicitus, Franciſcum Szengyörgyium Vacienſem Epiſcopum ad Michaelem Appaffi legatum expedivit, qui illum de veteribus pactis inter deceſſores ſuos Hungariæ Reges & Transſilvaniæ Principes initis admonitum, ad abjiciendam clam clientelam Ottomanicam, & unionem ſecum ineundam excitaret, verum Kacsukius Baſſa cauſa legationis cognita, graviter indignatus, Legatum comprehenſum in atrociſſimum Temesvarini carcerem conjecit, ubi vir clariſſimus vitam poſuit. Appaffio autem non ſine ſeveriſſimarum pœnarum comminatione vetitum, porro cum Leopoldo Cæſare de fœdere tractare. Illud autem Turcarum ſuſpiciones, & furorem non mediocriter auxit, quod provido ſane conſilio, Kemény ii rogatu, Claudiopolim, Kővárum, Székelhidam, & Szamos-Ujvárinum Cæſareus miles occuparat, ac adverſus Appaffii, & Turcarum impetus egre- LEOPOLDUS M.

LEOPOLDUS M.

gie defenderat. Hæc Cæſaris in Tranſſilvania præſidia, & vicinus in Hungariæ limitibus exercitus adeo jam tunc Turcis diſplicebat; ut bellum ea propter inferre decreverint: quo autem incautum fallerent Cæſarem, ejus Legato prorogandarum induciarum ſpem faciebat Vezirius, ceterique purpurati. Quapropter Legati Cæſarei Bizantii agentis litteris adeo deluſus fuit præcipuus Cæſaris adminiſter Lobkovitzius, ut urgente nequidquam Montecuculo, de novis militum ſupplementis, ceteroque apparatu bellico, nil omnino Viennæ cogitaretur, dum interea Turcæ maximis curis in bellum incumbebant.

Quis tum rerum Hungaricarum ſtatus?

IV. Ad eam Viennenſis aulæ ceſſationem accedebant domeſtica inter Hungaros diſſidia paulo poſt in apertum incendium eruptura. Convocarat Cæſar Poſonium ad Calendas Majas An. MDCLXII. Hungariæ Ordines, propoſitaque ob oculos Tranſſilvaniæ per Turcas evaſtatæ, ac pene oppreſſæ conditione, atque hinc vicinæ Hungariæ periculo, orabat ſingulos, ut tempeſtive

ſtive de remediis, de augendo per vectigalia ærario, bellique, ſi aliquando erumperet, gerendi ratione deliberarent. At enim in alia omnia illi abiere. Querebantur nonnulli adverſus datam inaugurationis tempore fidem, exteras copias magno numero in Hungariam introductas: partem per vicos, & oppida in Hiberna diſtributam; partem arcibus, præſidiiſque impoſitam. Militares locorum præfecturas exteris creditas: negligi Hungaros, nec jam more, inſtitutoque majorum ad arma cogi, præſidiiſque tuendis adhiberi, quaſi aut perfidi; aut ad rem militarem minus idonei forent. Exaggerata quidem hæc aliquantum erant, ac præterea Turcis late ubique dominantibus, ad Hungariæ ſalutem pertinebat; ut ſtatarius ille miles exterus ſuis locis excubaret, incolaſque adverſus populationes Ottomanicas tueretur. Quanquam fatendum eſt, majorem, quam publica & privata ſingulorum ferrent commoda, permiſſam fuiſſe hibernanti in Hungaria militi ſuis a Ducibus licen-

LEOPOLDUS M.

tiam A), quo id genus conniventiæ in fide contineretur; ut qui non raro in Tribunos ipſos, ſi ſeveriores eſſent, arma ſtringere, ac a Cæſare deficere non dubitabant B). Familiare illi fuit in incolas rapinis, contumeliis, cædibusque graſſari, quo quidem, haud ſcio, an validius aliquid ad totius gentis a Cæſare alienationem accidere potuit. Orta ex his querimoniis Proceres inter diſſidia non mediocriter auxere Proteſtantium querelæ, templa & Gymnaſia ſibi a Catholicis erepta reſtitui flagitantium. Nec mora: ſcinduntur denuo ab ſe Proceres, ad contentiones, jurgia, & acerbas parumque decoras denunciationes prorumpitur: ad extremum Proteſtantes, cum

cauſæ

A) Licentiæ hujus præter coævos Scriptores, teſtes ſunt Comitiorum pene omnium Conſtitutiones, in quibus communes gentis totius querimoniæ recenſentur, & curando huic malo medela præſcribitur, ut Decreta Regum inſpicienti patet.

B) Quantam barbariem Claudiopolitani præſidiarii in Gubernatorem ſuum exercuerint, cum virgis cæſum urbe ejecere. Vide apud Kazium Hiſtoriæ Hung. Lib. VIII. ad An. MDCLXIII.

[redacted]

LEOPOLDUS M.

cauſæ ſuæ patrocinium, prævalentibus Catholicis, non reperirent, e Comitiis prorumpentes urbe ipſa exceſſere, ſauciosque animos domum retulere. Actum tamen aliquid eſt de Republica: miles exterus ut facilius in officio contineri poſſet, quamdiu in Hungaria remanſerit, Palatini Imperio ſubeſſe juſſus: deſcriptus ſtipendiarii militis Hungari conducendi, & alendi modus; inſurrectionis item pro belli proportione ratio, militares in caſtris, & præſidiis præfecturæ Hungaris attributæ: octavalium judiciorum Aſſeſſores nominati, & plura alia ad communem utilitatem conſtituta ſunt A), quæ tamen ad conciliandos diſſidentium animos nihil poſtea momenti attulere.

Quæ Turcarum ad id bellum ſtudia?

V. His Hungarorum diſſidiis utendum rati Turcæ, ſtrenue ad bellum ſe comparant, atque eo majori ſucceſſus ſpe, quod Ger-

A) Lege ſis Decretum Comitiorum Anno M. DCLXII. die XIX. Septembris a Leopoldo ſignatum in Codice Juris Patrii.

LEOPOLDUS M.

Germanicæ militiæ florem in Italiam Hiſpano ſuppetias miſſum non ignorabant. Neque jam ſola Hungaria, verum etiam fœderata Transſilvania ad ictum deſtinata fuit. Vezirius, qui prope ducenta armatorum millia ſecum trahebat, Bizantio digreſſus, præmiſſo in Transſilvaniam Baſſa nomine Kapucſio, Appaffio arroganter imperat; ut nulla interpoſita mora Regni totius vires in unum contrahat, eductasque Kutsuko Baſſæ conjungat, unitis viribus bellum in Cæſarem geſturus. Dura fuit Appaffio ſuapte natura alieno a bello Principi ea denunciatio; dura item Provincialibus, qui paulo prius ſuis e calamitatibus exempti quietem neceſſariam habebant. Verum paulo amplius conſternati ſunt; cum ex Tranſalpinæ Principe, illac cum ſuis iter faciente, mandati illius cauſam ſecreto intellexerant. Monuerat ille, pro ſuo in rem Chriſtianam ſtudio, id moliri Turcas; ut attritis de induſtria eo bello Transſilvanorum viribus, commutata repente voluntate Provinciam ſui ſecuram, militeque deſtitutam invaderent, ſibique

peni-

[redacted]

LEOPOLDUS M.

penitus ſubjicerent. Ea Ottomanorum mens cum e dictis Olai Gyulajenſis Regi pariter colligeretur A), vehementer Appaſſius ſollicitus fuit; ut vel bellum a ſe amoliretur; aut ſaltem illius ſeorſim a Turcis, ſuoque arbitrio gerendi obtineret facultatem. Itaque maximis muneribus ſibi Kapucſium Baſſam conciliavit, obtinuitque; ut Turcæ, non expectata Tranſilvanorum profectione, provincia excederent: certo autem futurum pollicitus; ut collecto celeriter milite bellum Cæſari inferret. Fecit etiam, quod receperat Appaſſius, verum ita; ut ſpecies ſolum ea belli eſſet. Recepta enim per Germani militis præſidiarii proditionem Claudiopoli, & Székelhida, nullo fere illato damno in limitibus hæſit: id

A) „Hoc vobis: *inquiebat Olajus Turca*, con„ſilium a me datum ſciatis; diſſenſiones per plu„res annos continuatas ſeponite, nec contra quem„piam auxilia noſtra imploretis; ſi enim in ſuc„curſum veſtrum denuo ingredi compellemur; „nunquam nos Transſilvania egreſſuros juro per „Deum omnipotentem.„ Joan. Bethlem. rerum Tranſilv. Lib. IV. pag. 443.

LEOPOLDUS M.

id quod & Hungariæ, & Tranſilvaniæ ſaluti fuit.

Qui ſucceſſus?

VI. Transſilvanorum reſponſis, promiſſisque per Kapucſium ſibi explicatis contentus Vezirius, magnis in Hungariam paſſibus properabat An. MDCLXIII. Cujus adventus fama Leopoldus non parum perculſus fuit, quod ſpe futuræ pacis deceptus, nihil ad eum diem de bello cogitarit. Exiguus erat domi miles. Montecuculus nonniſi XII. Equitum, & XI. peditum Legiones ſub imperio cenſebat: quorum pars potior, ſi per præſidia; ut poſtea fieri oportuit, diſtribueretur, quam exiguus evadebat bellatorum numerus? Igitur in ea trepidatione Palatinum monet Cæſar; ut more, inſtitutoque veteri Hungaros viritim ad arma exciret. Factum id quam promptiſſime, atque Cæſaris expectatione celerius e vicinis Danubio Comitatibus XX. millia CCC. confluxere: videlicet octies mille trecenti quinquaginta equites: pedites undecies mille nongenti quinquaginta. Flos hic erat copiarum Hungaricarum,

quæ

[redacted]

LEOPOLDUS M.

quæ quidem majore multo numero in caſtra appulerant; ſed ex quibus multi, qui bello minus idonei apparebant, domum ſunt remiſſi. Belli adminiſtratio Montecuculo Germanicarum, & Nicolao Zrinio Hungaricarum Legionum Ductoribus a Cæſare commiſſa. Fortuna noſtris favebat principio; Zrinius enim bello olim Suecico, Tranſilvanico, & Turcico ab adoleſcentia exercitatus, adeo conſtanter comitem habuit felicitatem; ut quoties pugnaret, vinceret; ipſe enim miles certiſſima victoriæ ſpe animatus maxima etiam pericula generoſe adire eo ductore non perhorruit, quo factum, ut incredibilem ille ſibi apud univerſos Europæ Principes famam collegerit, id quod literis ad eum datis luculente ſunt teſtati A). Calentibus Zrinii deſi-

A) Ad Clariſſimi Viri virtutem cohonandam Alexander VII. Pontifex aureo numismate, Philippus IV. Hiſpaniæ Rex Vellere aureo, Ludovicus XIV. annuo eodemque liberali ſtipendio eundem exornarunt. Leopoldus vero, ut erat meritorum æſtimator, Nicolaum Zrinium in numerum S. R. Imperii Prin-

LEOPOLDUS M.

deſideriis ſi Montecuculus, ſuapte natura cunctator, & Turcarum moris parum adhuc gnarus; reſpondiſſet; poterat eo adhuc anno Vezirius debellari. Verum Montecuculus ſuſtinere potius, quam inferre bellum certus, omnem congrediendi vitabat opportunitatem, ardoremque Zrinii reprimebat non ſine tacitæ æmulationis ſuſpicione; ægre nempe ferebat Montecuculus magni apud Cæſaeem fieri Nicolaum Zrinium, ac fere in eo totam Cæſaris & Europæ totius ſpem collocari, id itaque ſibi dabat negotii, ut heroi ævo ſuo celeberrimo omnem inclareſcendi occaſionem adimeret. Qua re factum; ut Vezirius metu ſolutus Ujvárinum obſederit. Diu Adamus Forgátſius loci Gubernator hoſtium conatus luſit; at poſtquam continua verberatione proſtratis mœnibus tolarari diutius non poſ-

ſe

Principum referre voluit, ſed honorem hunc modeſte & efficaciter ille deprecatus fuit. Quo quidem, ut erat ab omni cupiditate alienus; ita etiam ab ambitione ſe longiſſime remotum declaravit: ut cui a teneris nil, niſi patriæ a Turcica ſervitute liberandæ cura fuit.

ſe obſidionem cerneret; nec ſpes ulla auxilii a Montecuculo appareret, accedente præſidiarii militis exteri ſeditione, V. Calendas Octobris ejusdem anni deditionem fecit, præter Turcarum morem una cum præſidiariis honorifice abire permiſſus, ſummisque ab hoſte ob toleratam fortiter obſidionem affectus honoribus. Jacturam nobiliſſimi præſidii auxere minoris nominis arces ab hoſte occupatæ, & funeſtiſſima illa populatio, quam Turcæ Trenchinium usque in Hungaria, nec non in Moraviam, & Sileſiam produxere, ablatis in captivitatem XL. Chriſtianorum millibus.

LEOPOLDUS M.

VII. Anno inſequente MDCLXIV. majore cum apparatu, & ſucceſſu bellum continuatum. Præter pecuniaria Alexandri VII. Pontificis ſubſidia A), ex Imperio Romano XV. millia virorum, ex Gallia VI. ſuppetias

Quis exitus?

A) Miſerat ille DCC. millia ſcutorum, ac inſuper poteſtatem fecerat reddituum ſacrorum partem in uſus belli convertendi. Vide Kazi Hiſtor. Hung. ad hunc annum.

LEOPOLDUS M.

petias venerant: præterea Hungari hiberno tempore per Palatinum evocati majore, quam ante, numero coiverant; ut adeo Chriſtiani exercitum Turcis numero pene parem, virtute autem, & Ducum præſtantia ſuperiorem numerarent. Bello, durante adhuc hyeme, initium factum a Nicolao Zrinio, cui Cæſar magnis Montecuculi ingratiis voluntarias ſibi auctorandi Legiones, & rei arbitrio ſuo gerendæ fecerat poteſtatem. Et vero Zrinius ſuo cum fratre Petro adeo ſecunda utebatur ubique fortuna; ut non modo prælio ſemper Turcas profligarit, verum etiam complures in Hungariæ limitibus, & Illyrico arces hoſtibus eripuerit. Ad hæc celeberrimus ille Turcarum ad Eſſekinum pons copiis in Hungariam trajiciendis peridoneus ingenti hoſtium damno crematus. Longum foret, ſi clariſſimi ævo ſuo Herois victorias recenſerem, quæ paſſim a Scriptoribus memoriæ poſterorum ſunt commendatæ A). Atque hæc

A) Lege has apud Kázi in Hiſtor. Hung. & apud Schmitth in Ottomanica Hiſtoria.

[redacted]

hæc Zriniorum auſpiciis geſta ſunt. Per Cæſareos autem Duces, ac nominatim Soucheſium quinquies de hoſte triumphatum. Sed omnium maxime celebrata fuit victoria ad Levam, in qua Turcæ octo ſuorum millibus amiſſis, caſtris, & impedimentis ſunt exuti. Lætiſſimos hos belli ſucceſſus paulo poſt corrupere fœda Montecuculum inter, & Nicolaum Zrinium diſſidia. Excitarat hic ad Muram fluvium præſidium Neozriniam appellatum, cohibendis Turcarum in Styriam præcipue irruptionibus perquam neceſſarium. Id ut tolleret Vezirius, copias eo adducit, Montecuculo, & Zrinio pro ſalute loci prope excubantibus. Poſt tentatam ſæpius inutiliter a Turcis aggreſſionem, orabat Montecuculum Zrinius; ut, quoniam in Neozriniæ ſalute multum erat momenti repoſitum, & miles Chriſtianus crebris animatus victoriis prælium ardebat, cum Vezirio congredi non dubitaret. Montecuculus dudum jam Zrinii apud exteros Principes gloriæ, & apud Cæſarem gratiæ infenſus, non modo fortunati Ducis votis velificatus

LEOPOLDUS M.

LEOPOLDUS M.

non eſt; verum etiam, quo ſe importunis precibus expediret, ſuppoſitis de induſtria ignibus juſſit cremari arcem, & præſidiarios ad ſe in caſtra attraxit. Quo viſo Turcæ continuo ſuccedentes, inſpectante, neque r[illegible]hriſtiano exercitu, munitiones [illegible]nt. Vix dictu eſt, quam [illegible]erit Nicolaus Zrinius loci condi[illegible] enim ignaviam Montecuculo e[illegible] non contentus, eo vindictæ abreptus fuit; ut quamvis optime proviſa haberet promptuaria, Montecuculi copiis annonam denegarit: id quod non levem huic præbuit apud Cæſarem criminandi materiam. Zrinius autem æger animo ſegnius deinde rem agebat, dum denique ſagum exuit, brevi ipſam vitam poſiturus A). Montecuculus, ut inuſtam ſibi

A) Nicolaus Zrinius Dalmatiæ, & Croatiæ Banus ab Apro inter venandum cæſus, occubuit Anno MDCLXV., poſtquam tribus Regibus Ferdinando II. III. & Leopoldo fidelem non minus, quam utilem ab adoleſcentia navaſſet operam. Vir pius, labo-

[redacted]

ſibi a Zrinio ignaviæ notam elueret, promotis caſtris ad S. Gothardum univerſo cum exercitu, Germanico nempe, & Hungarico Vezirium aggreſſus inſignem reportavit eodem Anno MDCLXIV. Calendis Auguſti triumphum. XVI. Turcarum, magna parte Janitsarorum, millia cæſa: centum quadraginta vexilla, & caſtra victoribus obvenere.

LEOPOLDUS M.

VIII. Poſt illuſtrem adeo victoriam, quo Turcici exercitus robur interiit, nemo erat, qui Leopoldum Cæſarem belli fructus lecturum dubitaret. At ille actis Deo, & Divinæ Matri gratiis, præter omnium ſpem, & expectationem commutata ſubito voluntate, pacis cum victis, ſi peterent, ocyus

Quibus Pactis conflatæ induciæ?

laboris infracti, in caſtris miles, & Dux, cum paucis magnos exercitus vincere aſſuetus: invidiam unam ſuperare non potuit, quam rerum præclare geſtarum gloria ſuſcitavit. Parentatum illi Pariſiis juſſu Ludovici XIV., oratione funebri ibidem laudatus a Leonardo Frizonio S. J. Sacerdote. Elogium Herois fortiſſimi præter alios concinnavit P. Kazi Hiſtor. Hung. Lib. IX. ad hunc annum.

LEOPOLDUS M.

componendæ fecit poteſtatem. Prior eam [illegible]ezirius poſtulavit, neque diu litigatum: [illegible]biliuntur inconſultis Hungaris Ducibus in viginti annos induciæ, ſanƈte utrinque obſervandæ, his legibus: Cæſar æque, ac Turca [illegible] e Transſilvania educeret, [illegible] Provincialibus more, inſtitu[illegible]er libera Comitiorum ſuffragia Prin[illegible] legere. Varadinum; Ujvárinum, Neogr[illegible]lum ultimo bello capta Turcæ bona fide poſſiderent: Cæſari Nagybányam, Tokainum, & reliquas Tibiſco adſitas, Rákotzio olim Principi conceſſas arces, liceat præſidio communire. Székelhida ſolo æquetur. Denique mutuis Legatis, & muneribus ſemet cohoneſtarent. Tabulæ VII. Septembris ejusdem Anni M. DCLXIV. ſunt ſignatæ.

Quibus de cauſis eæ initæ?

IX. Inopinata ea pax ubi per Hungariam vulgata fuit, graviori Cæſar invidiæ objeƈtus fuit. Querebantur inſciis Regni Ordinibus id faƈtum, atque non levi cum Patriæ damno; quod nobiliſſima tum præſidia Ujvárinum, Varadinum, & Neogradum

dum in Turcarum poteſtate relicta erant: continuato ulterius bello utiliores, honeſtioresque nomini Hungarico inducias extorqueri potuiſſe. Cæſar, ad quem ejus murmuris fama pertinuerat, quo ſe purgaret, conſilii ſui rationem Hungarorum Primoribus Viennam evocatis per Lobkovitzium unum tum Aulæ Adminiſtrum reddi voluit. Reſponſum itaque: incertam eſſe belli aleam, Turcarum vires, ſive numerus bellatorum, ſive nervus ſpectetur, ſuis multo eſſe ſuperiores: exiguas illas, quæ imminente bello ab Hungaris ſub ſigna colligi conſueverant, copias orientis impetui retundendo impares; nec, ut tum res militaris conſtituta erat, quidquam magni ſperari tentarive poſſe a). Pacis occaſionem

S 5 arripi

a) Hæc quæ Cæſar objiciebat haud a vero aliéna fuiſſe fidem facit Nicolaus Comes de Zrinio Heros ævi ſui fortiſſimus, de quo paulo prius meminimus. Is in libello quodam cui titulus *Ne báncs* Hungarico idiomate ſub exitum Anni MDCLXIV. conſcripto, miſeram rei militaris apud Hungaros conditionem paulo acrioribus verbis perſtringit. Ju-

vat

LEOPOLDUS M.

arripi oportuiſſe tum, cum Turcæ victi facile eam admiſſuri erant. Illius tractationem differri prudenter non potuiſſe eousque,

que,

vat huc u[illegible]n exſcribere. Sic autem habet pa[illegible]t meg-tehát, mitsodás formájú h[illegible] o[illegible]k azok, kik nem ſuccedáltak, és mi t[illegible]k? Ihon az igaz: Mikor meg-hallottuk, h[illegible] Török nagy kéſzülettel fegyverkezik, és kéſzül reánk, mi-is akkor, de későn kezdettünk tapodni, kaptunk két felé: hadat ſeregeket kezdettünk gyüjteni. De mitsodás ſeregeket? régi látott hallott vitézekből állott e' vallyon ez a' ſereg? bizonyára nem; hanem mentől roſzſzabb, hihetetlenebb, tolvajabb vólt orſzágunkban, ez gyűlt öſzve a' mi dobolásunkra. Ismét ki vólt ennek hadnagya? ugyan tsak ſzintén azon illyen: vagy a' ki jobban meg-előzte a' többit réſzeséggel, garázdasággal, kevélységgel, ki a' maga vitézségének rudimentáit vagy Kaſſai kereskedőkön; vagy Ketskeméti Tőséreken, vagy Sopronyi Kalmárokón, vagy más ſzabad városok, vagy polgarok kárán végezte el: a' ki nem a' jó hirért, névért, betsűletért iratta bé-magát a' hadakozásba, hanem hogy ezeket, a' fellyűl meg irt virtuſokat jobban, és ſzabadoſſabban üzheſſe; a' ki hogy jobban boſzſzúját valamelly falukra, vagy Nemes emberre ki tölt-

heſſe,

[redacted]

que, dum Comitia Poſonium convocarentur, neque enim ſervente ubivis bello Ordines Regni tam cito convenire valuiſſe: incertum adhæc; an non intra id tempus lætior Turcis fortuna arriſiſſet, quæ in eorum animis omne pacis deſiderium extinxiſſet, auxiſſetque in dictandis durioribus conditionibus arrogantiam. Jacturam aliquot locorum puta Varadini & Ujvárini neceſſario factam, non poſſe in contentionem venire cum inſigni eo emolumento, quod

LEOPOLDUS M.

heſſe, kivant hadi ember lenni - - - igy azért nem ſereg nem hadakozáſi jó lélekkel ſzármozott igyekezet; hanem fárſángolás, bordély és ha mi roſzſzabb nevet tudnék talalni ennyi meg-feslett erköltsnek. - - - Nem kell mi-nékünk olly nagy ellenség mint a' Török: egy cánicula melege, egy Februariusnak ſzele, egy éjtſzakának virraſztáſa, egy napnak koplaláſa meg-rontya hadainkat és ſemmivé téſzi: Illyenek a' mi hadaink! - - - O Egek! O Iſten! miért hoztál ki minket Scythiából? hollott talám nem bomlottunk vólna meg-ennyire ebben a' Magyar *Campaniában*: avagy ha bomlottunk vólna-is, nem látott vólna meg ennyi világ minket, magunk roſzſzasága miatt veſzni. Hæc Zrinius de ævo ſuo, ut erat ſeveræ virtutis cultor, paulo acerbius.

LEOPOLDUS M.

quod Transſilvania e Turcorum faucibus erepta, ſuæ libertati ſit reſtituta; a cujus ſalute Hungariæ incolumitas penderet. Ceterum neque aliæ deerant Cæſari cauſæ accelerandi pacem: ut ærarium exhauſtum, exiguo miles numero, dubia exterorum Principum auxilia, quorum maxima promiſſa ſæpe in fumum abierint. A) Huc acce-

A) Poſtquam Cæſar has aliasque pacis conficiendæ cauſas Hungaris explicuiſſet, Nicolaus Zrinius, qui bellum continuandum præprimis ſuaſerat; gravem animo dolorem concepit, cui ut aliquod levamen adferret, patriæque, quam armis juvare non licebat, ſaltem calamo prodeſſet, çelebrem illum libellum conſcripſit ſub titulo *Ne báncs. Avagy a' Töröknek Magyarral való bekeſſége ellen Antidotum.* In quo multis demonſtrare nititur, Hungaricæ genti, ut tum erat, ad depellendos ex Hungaria Turcas, citra omne exterorum Principum auxilium, & belli nervum & vires abunde ſufficere; ſi modo revocata in uſum vetere diſciplina militari, ſtatarias legiones armorum tractatione probe exercit[illegible]ſtanter alere in animum induceret, libellus [illegible] rarus eſt, civilique bello Rákotziano ar[illegible]ntibus C. Simonis Forgáts A. MDCCV. editus.

LEOPOLDUS M.

accedebat ſuſpicio illa, etſi fortaſſe vana, quod vulgò creditum ſit; Gallicas Legiones non tam opitulandi Hungariæ cauſa, quam ad alienandos a Cæſare Hungarorum animos fuiſſe transmiſſas. Auxit timores Cæſaris Montecuculus; cum ob præteritas cum Zrinio, aliisque Hungaris Ducibus ſimultates, & negata olim a Caſſovienſibus militi ſuo hiberna, genti univerſæ offenſus, Hungaros de minus ſincera in Auſtriacam domum voluntate, & clandeſtinis molitionibus accuſare non dubitavit. Quin etiam Leopoldo auctor fuit; ut ſi Regnum tranquillum habere vellet, mox a pace confecta exercitum in Hungaros verteret, armorumque terroribus admotis libertatibus ſpoliatos in ordinem redigeret. At Leopoldus ſuapte natura ad clementiam pronus, ſeverum id conſilium repudiavit; quia accuſatio tam gravis ſufficientibus argumentis minime probabatur; ſed nec ad eum diem quidquam hoſtile, & quidem ab univerſa gente, expertus erat. Ne quid tamen turbarum enaſci poſſet, dimiſſis ſtipendiariis Hungarorum cohortibus, arces,

&.

LEOPOLDUS M.

& civitates pleraſque exterorum præfectorum fidei commendatas Germanicis Legionibus inſideri juſſit, eo conſilio; ut copioſum militem in promptu haberet non modo Hungarorum molimina exploraturum, verum etiam quotidianis Turcarum incurſionibus frenos injecturum.

Unde orta Hungarorum alienatio?

X. Nova hinc rurſus murmura: novæ eapropter in Cæſaris animo offenſiones, ac graviſſimæ utrinque ſuſpiciones exortæ ſunt: acerbe propalam conquerebantur multi; populares a militiæ muneribus ceu inhabiles rejici, exſtingui inter Hungaros veterem illam indolem, virtutemque bellicam, ſolis exteris omnia tribui, ab his quaſi captivam teneri Hungariam: conceptum eapropter dolorem exaſperabat militarium Præfectorum arrogantia, qui honeſtiſſimos etiam viros perfidiæ accuſare, conviciis laceſſere non dubitabant: huc accedebat gregarii militis talibus exemplis, & impunitatis ſpe animata licentia. Hæc cum ad Cæſarem perlata eſſent, ut aliquid ægris indulgeret, plures ex Hungaris; quorum

fides,

fides, & fortitudo perſpecta erat, remotis exteris, ad munitorum locorum præfecturas admovit. Ut tamen nutantibus jam in fide erga ſe animis militem Regno educeret, impetrari non potuit: ſevera nihilominus ad Duces, Tribunosque mandata dedit; ut ab inferendis injuriis ſuos cohiberent; quibus tamen parum, aut nihil profectum eſt: ut adeo animorum ægritudo ingenti poſtea Patriæ damno majora in dies caperet incrementa. Atque hoc militis exteri odium communis cauſæ ſpeciem referebat: cui igni novum affudere oleum Proteſtantium conqueſtiones. Apertis, ut alibi diximus, ſcholis Catholicis, aucto Curionum, & Religioſorum virorum numero; per publicos privatosque congreſſus, per expeditiones Apoſtolicas, refloreſcebat Religio Catholica, magnorumque virorum, & illuſtrium aliquot familiarum acceſſione creſcebat. Multæ ædes ſacræ Cæſaris auctoritate; multæ Dominorum terreſtrium voluntate Proteſtantibus ereptæ ad Catholicos poſtliminio rediere: multis, miniſtris Catholici jam Domini, quæ olim

pro-

LEOPOLDUS M.

præſtare ſolebant, vivendi adjumenta ſubtraxerant. Id quod nominatim a Sophia Báthori Georgii II. Rákotzii Transſilvaniæ Principis Vidua Catholica factum, quæ cum filium quoque ad Catholica ſacra traduxiſſet, fundationes a Rákotziis in uſum proteſtantium miniſtrorum factas Catholicis applicuerat. Hinc itaque lachrimæ, quæ ſubinde in flammam converſæ ſunt. Hic cum eſſet gentis Hungaræ ſtatus, crebri conventus habiti, multæ inſtitutæ deliberationes: miſſi ad Cæſarem nuncii, militem exterum eliminari, Proteſtantibus ſua Templa, ſua Gymnaſia reſtitui poſtulantes. At Cæſar ex iis diſſidiorum initiis futura minime proſpiciens, utrumque procraſtinatione primum differebat; ac demum aperte negavit.

Quam perturbatus Hungariæ ſtatus?

XI. Gliſcebant hunc in modum, clam tamen, & velut ſub cineribus, incendia. Convenere primum ſpecie valetudinis curandæ in balneis Trenchinienſibus plerique e Regni primoribus, tum vero anno M. DCLXVII. occaſione judiciorum habendorum

FACULTATEA DE DREPT ... CLUJ

[redacted]

[redacted] LEOPOLDUS M.

rum Neoſolii. Crebræ his in conventibus; crebræ item per literas deliberationes inſtitutæ, usque ad An. MDCLXX. quo demum conjuratio omnis in lucem erupit. Auctor ejus erat Franciſcus Veſſelénius, ante exitum tamen naturali morte præventus. Hoc Duce ſeceſſionis ratio deſcripta: ſtatutum imprimis fuit; ut Cæſar de querimoniis libere prius edoceretur; ac ſi remedium afferre cardaret, arma in eum corriperentur. Seceſſionis hujus flammam conſilio & opera ſua non mediocriter animavit Gramonvillius Gallicus Viennæ orator, cujus intererat Hungariam in Leopoldum concitare, quo tempore Ludovicus XIV. bellum Hollandicum apparabat. Nec mora: ſolito & Regni, & Religionum libertatis titulo auctorari miles, exterorum Principum auxilia conquiri; clam hæc in ſuperiore Hungariæ Regione acta: at brevi conſilia omnia patuere. Itaque Cæſar nova militum ſupplementa in Hungariam transmiſit, occupatis munitioribus locis fatale incendium reſtinctura: maximo autem illi commodo fuit expugnata arx Murányia,

LEOPOLDUS M.

in, qua, conjuratorum litteræ [illegible] melitionum capita detecta [illegible] hensi, supplicioque affecti a): [illegible] citati non comparentes bonorum publicatione, & exilio mulctati sunt. [illegible] tem hanc in modum [illegible] potissimum [illegible] bunque Lobkowiczio [illegible] Aulæ administro [illegible] supplices Captivorum ad Cæsarem litteras sibi [illegible] studiose suppresserat; [illegible] per alios Cæsari ad clementiam sponte propenso consignari possent, aditus omnes intercluserat: ac nullis denique artibus pepercerat dum Cæsarem diu admodum reluctantem ad subscribendam mortis sententiam adduxit; ob quod gravi postea ille invidia laboravit, usque dum Magistratu dejectus in exilium actus fuit. Compressa hunc in modum An. MDCLXXI. seditione

---

a) Hos inter fuit Petrus Comes de Zrinio Nicolai Zrinii Viri fortissimi ac quinquennio ante vita functi germanus, eidemque affinitate junctus Christophorus Comes de Frangepanibus, qui Neostadii in Austria An. MDCLXXI. capite mulctati florentibus diu geminis familiis finem fecere.

[redacted]

ne Cæſar, tricena millia militum Germanorum in Hungariam infudit, tum vero ſevero edito mandato, militem in omnes etiam privatorum arces recipi, ſtipendiis, & victu ali; ab omnibus denique ſubditis æque ac Dominis, ſacris non minus quam profanis, nullo diſcrimine tributa deinceps pendi juſſit; crimini daturus, qui juſſis parere detrectaret. Arctioribus adhæc limitibus circumſcripta Proteſtantium libertas, ejecti pluribus locis, qui conjurationem foviſſe convicti ſunt, Miniſtri, adempta templa, diſſipata gymnaſia. Hæc militum per omnes Regni arces diſperſorum præſidia nondum ad ſecuritatem ſatis eſſe apparebant; niſi ipſa regiminis Hungarici forma penitus immutaretur. Itaque diu conſultatum; an non Teutonicis Equitibus transſcribenda eſſet Hungaria, ad militarem Ordinis hujus morem reducenda. Deprecabantur iſtud Hungarorum præcipui A),

LEOPOLDUS M.

T 2 qui

A) Legi meretur Pauli Széchény Colocenſis Archiepiſcopi Epiſtola ad Leopoldum data, apud P. Kazi in Hiſtor. Hung. Tom. III. Lib. X. pag. 103.

LEOPOLDUS M.

qui conſtanter in fide permanſerant; nec defuere ex Aulæ adminiſtris, qui id conſilium improbarent. Ceſſit denique plurium ſententiis Cæſar; certus tamen, Palatini dignitatem in perpetuum abolere, ac una indignationis ſuæ argumentum daturus, Georgio Szelepcsényi Strigonienſi Archiepiſcopo & Regni Primate, Locumtenentis dignitatem, quam aliquamdiu non ſine laude geſſerat, deponere juſſo, Joannem Gaſparem Ambringenium S. R. I. Principem, Ordinis Teutonici Magiſtrum Hungaris ſumma cum poteſtate Gubernatorem A) Anno MDCLXXIII. die XXII. Martii conſtituit, cui additus Poſonii ex Hungaris, & Germanis conflatus Senatus, qui ei in Reipublicæ adminiſtratione, ærarii, & judiciorum rationibus adjumento eſſet. Geſſit ille Magiſtratum triennio non integro inviſus admodum omnibus ea maxime de cauſa; quod in ſolitis de Republica conſulta-

A) Litteras, quibus Gubernatorem creavit Cæſar, vide ibidem Hiſtor. Hung. Tom. III. Lib, X. pag. 142.

[redacted]

ſultationibus clariſſimos viros ſuæ interdum opinioni adverſantes, continuo refractarios, rebellesque compellare conſueverit; qua præpoſtera agendi ratione vehementer irritati ſunt præcipui quique, quos ea propter toto illo tempore mœſtos, animique ægritudinem vultu ipſo conſtanter ſignificante, cum diutius ferre non poſſet, An. MDCLXXV. veniam ex Hungaria diſcedendi a Cæſare petiit, ac impetravit: id quod Cæſar eo libentius admiſit, quod magnam gentis partem usque adeo alienatam eſſe compererat, ut ad excutiendum jugum exterorum Principum, Auguſtæ domus ſuæ hoſtium, patrocinium implorare auſi fuerint, ac etiam præſertim a Rege Galliæ impetrarint; ut itaque novis motibus anſam aliqua ex parte præcideret, Gubernatori ſuffecit Locumtenentem Szelepcsényium Primatem: Eodem prope tempore Lobkovitzius, qui ad eum diem univerſas Aulæ Viennenſis res ſuo arbitrio flectebat, incertum qua de cauſa, dignitate dejectus ex aula diſceſſit An. MDCLXXIV. Atque ex eo tempore cautius, ſecretiusque nego-

LEOPOLDUS M.

tia tractare Cæſar, per ſeque ipſum res gravioris momenti expedire cepit.

Quæ adhibita remedia?

XII. Interea in ſuperiore Hungaria Cæſareus m[illegible]le ab An. MDCLXXI. Duce [illegible]ndis ad obſequium diſſider[illegible]peram perdebat. Sævitum [illegible] quos vel ſuſpicio conjurationis p[illegible]: quotquot capti erant, militari judicio neci dati; neque vulgari illo, ſed exquiſito plane ſupplicii genere animadvertebatur: alii in crucem acti, alii artuatim diſſecti: nonnulli palis infixi, aut rota fracti, miſero ceteris ſpectaculo fuere. Ea Koppii ſeveritas adeo non profuit; ut exulceratis ſuppliciorum acerbitate animis & ferocia, & numerus in dies augeretur, conſimilibusque ſuppliciis conjurati in militem Cæſareum poſtea uterentur. Ea mutuo in ſe ſæviendi licentia comperta Cæſar vehementer exhorruit, datisque mandatis quam ſeveriſſimis, Koppii, & ceterorum militarium Præfectorum atrocitatem caſtigavit, prohibito deinde judicio militari, conjurationis reos conſtitutis Judicibus exami-

nan-

nandos, plectendosque commiſit. Sed cum neque tum Koppius ab inſtituto recederet, ex Hungaria ſubinde revocatus fuit. Cæterum caveri nullo pacto potuit; ut gregarius miles poſtea etiam ab injuriis ſibi temperaret: nam cum ob ærarii anguſtias pluribus menſibus ſtipendia differentur, rapinis vitam tolerare neceſſe habuit, Tribunis nihil gravius in eos ſtatuere audentibus: quæ militis licentia non niſi Carolo Cæſare, & Eugonio Duce armorum Præſide finem accepit. Tantam ſanguinis utrinque profuſionem, continuas direptiones, & incendia miſeratus Cæſar, de imponendo denique malis fine ſerio cogitationem ſuſcepit. Evocatis itaque Anno MDCLXXVI. Viennam Hungarorum Primoribus, qua ratione quies patriæ reddi poſſet, ſententias candide ſingulos expromere juſſit. Vocatus etiam in conſilium C Ladislaus Csáky, Appaffii Principis apud Cæſarem Legatus. A plerisque id ſuggerebatur: omiſſa ſeveritate, ad clementiam rediret Cæſar, & ſeditioſis ad obſequium redire volentibus plenam erratorum veniam offerret: Hun-

LEOPOLDUS M.

LEOPOLDUS M.

garam nationem ejus eſſe indolis, ut Principibus ſuis, a quibus ſincere ſe diligi æſtimarique ſentit, obſequentiſſima ſit, eorumque cauſa difficillima quæque generoſe perpeti in [illegible] durioribus ex adverſo r[illegible]erari potius, quam ad o[illegible] ea quæ gererentur, [illegible]la[illegible]ſſe poſſe. Induceret itaque in anim[illegible]lar comiter agere, & quoniam diffidentia in immenſum creverat, in id incumberet, ut evulſis omnibus ſuſpicionum radicibus de ſinceriſſima ſua ad Regni felicitatem procurandam voluntate univerſos convinceret. Iſtud porro facile obtenturum, ſi reſtituto Palatino, cui uni Ferdinandus I. olim Coronam Hungariæ acceptam debuiſſet A), veterem regiminis formam innovaret: tributa Nobilibus impoſita antiquaret: ad militares æque, ac æra-

rii

A) Quid Stephanus de Báthor R. H. Palatinus pro Ferdinando I. contra Regis Joannis factionem egerit, quantave conſtantia jura Auguſtæ domus tuitus ſit; in rebus Joannis Zapolyæ & Ferdinandi I. narravimus.

[redacted]

LEOPOLDUS M.

rii præfecturas Hungaros admoveret: ſineret ex Hungaris, ut olim, conſcribi cohortes ſtipendiarias, tuendis præſidiis, & finibus utiles futuras: exterum militem, cujus licentia jam cohiberi non poſſet; Regno ejiceret. Inclinabat Cæſar ad ſingula; militem Germanum nihilominus, turbatis his temporibus, in Regno plane neceſſarium eſſe pronunciavit; ceterum quiete reſtituta, & periculo a Turcis ceſſante; id quoque libenter ſe facturum promiſit; alioquin querebatur grave ſibi eſſe, inſanos in tantum militem ſumtus profundere. His actis Cæſar Palatini creationem in proximis Comitiis pollicitus, bona cum ſpe Proceres dimiſit. Verum cum alii aulæ adminiſtri præſertim Hockerus Aulæ Cancellarius a) armis prius, quam clementia, ſeditionem compoſitum iri contenderent, Cæſaremque ad tenendam in cœpta ſeveri-

a) Diſceptationes Baronis Hockeri cum Hungaris Proceribus in Conventus Poſonii habitas vide in Fragmentis Hiſtor. Hung. ad An. MDCLXXVIII. a pag. 56.

LEOPOLDUS M.

tate conſtantiam hortari non deſinerent, fluctuabat diu anceps optimi Caeſaris animus, prioraque differebat conſilia, bello interim ubique varia fortuna continuato. Ejus taedium totque civium interfectorum miſeratio cum iterum Caeſarem inceſſeret, Joannis Gubaſoczii Vacienſis Epiſcopi mentem exquiſivit. Is per literas XI. Calendas Februarii An. MDCLXXVIII. datas A), reſpondit, ac eadem, quae Proceres antea, commendavit, adductis Ludovici Magni, & aliorum, qui felicius in Hungaria regnarunt, exemplis; ſed ſera jam

[redacted]

muelis Gyulaffi ac Annæ Bethlen de Ictar, filia in lucem editus A). Veſſeleniana conjuratione An. MDCLXX. detecta, adoleſcentiam tum ingreſſus cum fidiſſimis demortui Patris clientibus in Transſilvaniam, ubi Caſtrum Wayda-Hunyad cum ampliſſimis aliis partim a Matre Gyulaffia relictis partim a Franciſco Redei teſtamento legatis ditionibus poſſidebat, ſe receperat. Exactis aliquot in aula Appaffii annis, adeo indole vivida, promptoque ingenio cunctis ſe probavit; ut, cum turbæ in Hungaria exortæ erant, communi ſententia factioſorum Princeps declaratus fuerit. Tököliu plurium in Transſilvania ditionum, puta Wayda-Hunyad &cet. Dominum cum cete-

LEOPOLDUS M.

A) Erant Emerico Tökölio ternæ ſorores, quas ab obitu patris redactio in Fiſcum omni patrimonio, ope deſtitutas Paulus S. R. I. Princeps Eſterhàzi R. Hung. Palatinus Kismartonium educandas tranſtulit: ex his Eliſabetham natu maximam Franciſco Fratri; minimam Evam ſibi accepit conjugem; propitio Numine inita fuiſſe hac connubia, numeroſa ſoboles probat. Sororum media Maria Baronis Pethö uxor ſine prole deceſſit.

LEOPOLDUS M. ceteris exulibus benevole habuit Appaffius & ſua ſponte & Ludovici XIV. Regis Galliæ commendatione, qui ut Leopoldi vires diſtraheret, turbas Hungariæ ſtudioſe alere augereque non deſtitit. Certe Tökölianа factio illi ſua debet incrementa: huic ille magnam pecuniæ vim annis ſingulis ſubminiſtrabat: huic Regem Poloniæ Joannem Sobiczky opera Legati ſui Marchionis Bethunii conciliavit, ut is non contemnendis militum ſubſidiis aliquamdiu factioſos adjutum iret. Denique traducto ad partes ſuas Michaele Telcki primo Appaffii Aulæ Adminiſtro, effecit, ut Transſilvanus ſua Tökölio in Cæſarem arma viresque conjunxerit. Sic comparatis rebus non mirum eſt Tökölium tot tantorumque fœderatorum viribus nixum adeo fidenter bellum Cæſari obmovere auſum A). Tentarat ille jam

A) Quo gratiam Tökölius redderet Ludovico Galliarum Regi, occupatis ſubinde aerariis nummos cudi curavit, qui adverſa parte hanc referebant epigraphen: LUDOVICUS XIV. REX GALLIÆ, averſa vero: PROTECTOR ET PATRONUS REGNI HUNGARIÆ.

[redacted]

LEOPOLDUS M.

jam An. MDCLXXII. tumultum concitare, vulgatis per Regnum litteris, in quibus appoſita ad commovendos animos oratione populares ſuos ad arma evocabat; ſed minore ſucceſſu. Continuatum poſtea per plures annos, jam Michaele Telekio, jam Stephano Veſſelénio Ductore bellum. Dum denique tota illius moles in Tököliun An. MDCLXXVIII. devolveretur, qui adductis ſecum e Tranſilvania XX. millibus ſuperiorem inundavit Hungariam, creſcenteque in dies diſſidentium numero, prolato ulterius bello, montanas Hungariæ civitates Cæſari erupuit. Quis cædes, populationes, ædium ſacrarum, & proborum virorum ſpoliationes eo tumultu patratas enumeret? Unum erat in votis Tökölio; ut Helenæ Zriniæ, quam ſub idem tempus Franciſcus I. Princeps Rákotzius in ipſo ætatis flore ſublatus A) viduam reliquerat, nuptiis

A) Franciſcus Rákotzi electus Tranſilvaniæ Princeps, a morte Patris Georgii II. in Hungaria vitam egit, clauſitque Makovitzæ A. MDCLXXVI. nonis

LEOPOLDUS M.

nuptiis poriretur. Captus erat impotens ſui juvenis & ingenio, & rara Matronæ adoleſcentis forma, atque una Rákótzianis theſauris inhiabat, qui ad proſequendum bellum multum adjumenti allaturi videbantur. Verum obſtabat imprimis Cæſar, tum demortui Rákotzii Mater Sophia Báthori mulier ævi ſui præſtantiſſima, multumque Leopoldo Cæſari æſtimata, quæ importunum illum procum a Munkácſini mœnibus machinis bellicis removebat. Neque prius ille, niſi demortua An. MDC. LXXXII. Sophia Báthoria A) cupitam diu ſponſam obtinuit. Contemptæ principio ſunt Tököli molitiones; at ubi Gallicis, Polonicis, Transſilvanisque auxiliis adjuto homi-

nonis Julii, conditus Caſſoviæ in templo S. J. quod ipſe cum Matre Sophia Báthori erexerat. Reliquit geminas proles ſuperſtites: Franciſcum, variis poſtea jactatum calamitatibus, & Julianam Comiti Ferdinando Goberto de Aſpermont collocatam.

A) Quoniam vetuſtæ hujus ſtirpis in Sophia Bathoria tumulo illatæ multa in opere noſtro mentio, juvat hæc Bathoriorum Tabellam Genealogicam adjicere.

N O V A

BATHORIOR

Andreas Bathori ✠ 1562.
Margaretha filia Stephani de Mailath & Annæ de Nádasd.

Stephanus
Anna fili
lon. ✠ 1

Stephanus Bathori.

Balthaſar Bathori.
Cæſus 1594.

An
S.R
çe
15

Gabriel Bathori
Princeps Tranſſilv.
Cæſus 1613,

Andreas Bathori.
Anna Zachreski Polon.

Sophia Bathori ✠ 1682.
nupta Georgio II. Rakotzi S.R.

... conſtitutiones Conſtitutorum in Codi-
ce Juris Patrii.

LEOPOLDUS M.

nini Turcas propediem præſto futuros ſit Cæſar, aliquoties cum eo de pace t, ſed fruſtra; quod ille ſucceſſus ſpe us, iniquiſſima quæque poſtularet: ex bus apparebat, eum privata potius am- one, atque avaritia, quam Patriæ, aut eſtantium ſtudio ad arma convolaſſe.

Quis fructus Comitiorum Soproniensium?

XIV. Cæſar tot infelicis Hungariæ Tra- dias pertæſus, finemque malorum ali- ndo deſiderans, Hungariæ Procerum, nitia poſtulantium, votis demum ſub- pſit, Ordinesque Regni Sopronium ad VIII. menſis Aprilis An. MDCLXXXI. avit de curandis inveteratis Patriæ vul- ibus deliberaturos. Confluxere magno nero ex omni Hungaria. Unus pene e moribus aberat Tököliuſ, nequidquam, veniret, rogatus. Poſt multa ad com- nem ſalutem ultro citroque prolata, le- communi conſenſione rogatæ in LXXXII. ita ſunt redactæ A). Cætera inter re- ſtituta

A) Lege ſis conſtitutiones Comitiorum in Codi- Juris Patrii.

[redacted]
LEOPOL-
DUS M.

ſtituta Palatini dignitas, electo Paulo E-
ſterházy de Galantha Nicolai Palatini fi-
ſerius S. R. I. Principis dignitatem confer-
to. Antiquatus Locumtenentis, aut Gu-
bernatoris magiſtratus: inſtitutus ex Hun-
garis miles ſtipendiarius ad confinia tuen-
deputatus: coercita militis exteri licenti-
popularibus ſolis ad ſacras, & profanas di-
gnitates jus ſtabilitum: abolita tributorum
& judiciorum ratio, turbarum tempore in-
troducta: confirmata gentis univerſæ privi-
legia: Proteſtantium querelis, quoad li-
cuit, ſatisfactum: decreta XIII. oppido-
rum Scepuſienſium redemptio a). Deni-

que,

a) Georgius Széchényi tum Colocenſis, poſtea Strigonienſis Archiepiſcopus 88800. fl. eum in finem de ſuo addixit, ea lege, ut quoad viveret reddi-tibus XIII. oppidorum ipſe uteretur; a ſua autem morte eidem in limitanei militis Hungari ſtipendium tranſiret; ſed optimas has deſtinationes bellum intercepit. Non poſſum hoc loco mihi temperare quin de pignoris Scepuſienſis pretio ſententiam hic adſcribam, paulo ſerius mecum ab amico communicatam. Exhibuit ille mihi litteras Sigismundi An

MCCCCX.

quod præcipuum erat, cunctis ad obſe- quium redire volentibus, vitæ, & bono- rum gratia facta. Publicatis Comitiorum decretis, grave Tökölio vulnus inflictum; quod plerique ab eo receſſerant, hominem- que velut hoſtem Reipublicæ intuerentur. Quin etiam converſis repente ſtudiis arma Cæſareo militi conjunxere Hungari, nomi- natim Palatinus Eſzterházius, Nicolaus Pálfi, Georgius Erdödy, Nádasdii, Balaſ- ſaii, Barkotzii, Czoborii, & plures alii e Proceribus, quorum virtute, & militari ſcientia Tököliani aſſeclæ in dies cædeban- tur, debellatumque fuiſſet eo anno; niſi

LEOPOLDUS M.

MCCCCX. & MCCCCXIII. in quibus groſſus Pra- genſis in ſexagena uſitatus æquiparatur 7. denariis novæ monetæ: atqui ex Decreto III. Sigismundi An. MCCCCV. conſtat, novos denarios majores fuiſſe, atque tales omnino, quorum 100. æquabant florenum argenteum, & aureum juſti ponderis. Hoc itaque poſito, fuit groſſorum Pragenſium una ſexa- gena = 420. denariis, ſive 4. florenis, & 20. de- nariis; tum 37000. ſexagenarum = 155400. flore- nis Sigismundeis. Qui calculus ſi obtineat, facile erit ejus ætatis florenos ad hodiernos revocare.

LEOPOLDUS M.

Appaſſius ob negatos ſibi a Cæſare tres Hungariæ Comitatus offenſus, ære, militeque hominem adjuviſſet. Atque hæc Hungarorum in Cæſarem fides, ac adverſus Tôkôlium conatus, lætiſſimus erat fructus Sopronienſium Comitiorum: quod remedium, ſi ſub ipſa belli civilis initia adhibitum fuiſſet, dudum jam conjuratio finem accepiſſet. Quare Tôkôlius univerſam brevi Hungariam in ſe armandam metuens, crebrioribus nunciis Bizantinam Aulam pulſabat; ut ruptis induciis, laboranti ſibi opem ferret A). Tulit illa quidem; ſed

A) Juvat huc pacta Tökölium inter, & Turcas hoc tempore inita adſcribere. I. Tököli Principis titulo Hungariam obtineat, ab ejus obitu libera ſit popularibus electionis poteſtas. Turcæ Hungaros in priſtinis libertatibus conſervent, ac totis viribus adverſus hoſtes tueantur. Cum nemine iis inconſultis pax fieri poſſit, arces, & civitates Hungariæ Tökölio reſignentur. Liberum ſemper ſit Hungaros inter, ac Turcas commercium, Hungarorum Legatis is ſemper Bizantii honor exhibeatur, qui ceteris. Hungari in clientelæ teſtimonium Turcico Imperatori tri-

LEOPOLDUS M.

ſed irreparabili ſuo damno, æterna autem Tökölii ignominia, qui poſtquam pluribus annis in caſtris Turcicis parum feliciter militaſſet, una cum protectoribus ſuis demum ex Hungaria ejectus fuit.

Quæ origo alterius belli Turcici?

XV. Interea Mahometes Turcarum Imperator crebris Tökölii precibus excitus, opportunamque inter eas Hungariæ perturbationes rebus ſuis expeditionem fore exiſtimans, An. MDCLXXXIII. Karam-Muſtapham Vezirium cum trecentis, ut nonnulli volunt, armatorum millibus in Hungariam proficiſci juſſit. Cohorruit ad belli nuncium Cæſar, nihilque omiſit, quo Tökölium oblata liberaliſſime gratia ad obſequium revocaret, & Turcas ad prorogandas inducias adduceret: at incaſſum omnia. Et vero metuendum erat Cæſari bellum, qui in frangendis ſuperioris Hun-

tributum annuum pendant, ſed quod XL. aureorum millia non excedat. Ita ille ſpe Hungariam omnem devoraverat; ut velut de re ſua paciſci non erubeſceret.

LEOPOLDUS M.

gariæ ſeditionibus multa ſuorum millia amiſerat, viresque exercitus ſui multum attriverat. Certe præter Hungaricas, Illyricasque copias, quæ jam tum in legiones auctoratæ erant, partim autem veteri more a Nobilitate ſub ſigna vocatæ, ſed quarum pars maxima per limitanea præſidia diſtributa fuit, vix XXX. millia exteri militis univerſim cenſebat Leopoldus Carolo Lotharingo Duce. Itaque ante omnia publicis precibus, & bonis operibus placato Numine, dum interea; ut in tam vicino periculo potuit, apparatur bellum, miſſis in omnem partem nunciis, Chriſtianorum Principum auxilia imploravit, Linciumque cum omni familia Cæſarea ſe recepit.

Quæ fortuna ad Viennam, & alibi?

XVI. Interea Vezirius totam emenſus Hungariam innumeram illam multitudinem Viennæ mœnibus circumfudit die II. Julii. Quanta fortitudine Erneſtus Rudigerus Comes a Stahrenberg urbem bimeſtri integro tuitus ſit, majus eſt, quam ut a me deſcribi poſſit. Adfuere interea in obſeſſæ urbis auxilium Joannes III. Sobieſzki Rex Polo-

[redacted]

Poloniæ cum XXVI. Polonorum millibus, Saxoniæ, & Bavariæ Electores, pluresque alii Romani Imperii Duces, & Principes ſuis cum copiis. Aucto hunc in modum ad LXVIII. millia exercitu, Carolus Lotharingus nil porro expectandum ratus, die XII. Septembris totis viribus in hoſtes irruit. Poſt acre plurium horarum certamen Turcæ, multis ſuorum millibus deſideratis, caſtris, & impedimentis relictis, in effuſam fugam abiere A). Initium hoc fuit Leopoldi Magni victoriarum eo lætius; quo magis inexpectatum; ut intelligas, Deum eo potiſſimum tempore opitulari poſſe, cum humana omnia præſidia abeſſe videntur. Fructus autem victoriæ fuere jucundiſſimi. Carolus enim Lotharingus fugientium terga premens, paucis poſt diebus ad Párkány Vezirium cum VIII. mil-

A) Vide Diarium Viennenſis obſidionis, & Hiſtoriam Leopoldi M. paſſimque alios. In hujus victoriæ memoriam ab Innocentio XI. Papa inſtitutum fuit Feſtum SS. Nominis MARIÆ Dominica infra octavam Nativitatis B. V. M. quo die annis ſingulis ſolennis Viennæ ſupplicatio habetur.

LEOPOLDUS M.

lium cæde profligavit. Mox Strigonium, Léva, Pápa, Fülek, Novigradum aliæque vicinæ arces in victorum poteſtatem venere. Anno inſequente, qui annus MDC. LXXXIV. fuit, cæſi iterum ſæpius Turcæ: Viſſegradum, Vatzium captum: Buda, ſed irrito conatu, obſeſſa: Anno MDC. LXXXV. profligato ad Strigonium Turcarum exercitu, Ujvárinum armata manu expugnatum; dum interea in ſuperiore Hungaria, Bartfa, Eperjeſinum, Tokainum, Patakinum, ac demum Caſſovia Tököliani adempta eſt. Ubi illud obſervari dignum: a Turcis ipſis hoc tempore factionem Tökölianam pene exſtinctam fuiſſe, dum Tökölium, incertum qua ex ſuſpicione, cuſtodiæ mandarant. Ejus enim captivitatis fama vulgata, fidiſſimi etiam ante clientes ad Cæſaris fidem rediere. Serius errorem ſuum detexere Turcæ, homini que in libertatem reſtituto copias addidere, ſed fruſtra: nemo fere, labantibus jam Turcarum rebus, cum capitis, & fortunarum periculo Tökölio deinceps adhærere voluit. Quanquam fatendum eſt, pridem

jam

[redacted]

jam diſſidentes a Tökölio abduci potuiſſe; niſi Caraffa immoderata ſeveritate Caſſoviæ & Eperjeſſini exercita exaſperatos multorum animos ad deſperationem adegiſſet, qua agendi ratione Cæſaris ſucceſſus retardavit; ſibi autem æternum conflavit odium.

LEOPOLDUS M.

Quomodo recepta Buda?

XVII. Illuxit demum fauſtiſſimus Hungariæ, totique Reipublicæ Chriſtianæ Annus MDCLXXXVI. quo Buda poſt diuturnam ſervitutem Leopoldi Cæſaris pietate; Caroli autem Lotharingi ductu ex Ottomannorum manibus vindicata eſt. Hoc unum avebat Cæſar; quod a nobiliſſimæ urbis poſſeſſione totius Hungariæ fortuna penderet. Itaque vovet ſe eum diem, quo Buda potiretur, honoribus D. Stephani I. Hung. Regis conſecraturum. Carolus Lotharingus interim ſeptem Brandeburgorum, & XIV. Hungarorum millibus inſtaurato exercitu, ad oppugnandam Budam ſumma cum ſpe victoriæ tetendit; atque XVIII. Junii urbem circumvallavit. Maximilianus Bavariæ Elector, cui a Lotharingo optio

U 4 data,

LEOPOLDUS M. data, ex D. Gerardi montis latere; Lotharingus verſus Viennenſem portam ex radice montis D. Rochi oppugnationem inter ſe partiti ſunt. Exigua initio ſpes apparebat; proſtratis enim continua tormentorum verberatione mœnibus, tentato aſſultu, ſæpius non ſine multa cæde rejecti ſunt noſtri. Nec parum moleſtiæ faceſſivit Vezirius, cum LX. millium exercitu in urbis tutelam appulſus: quem poſtquam conſerto prælio Lotharingus profligaſſet, lætior fortuna aſpiravit. Die II. Septembris generalis aſſultus imperatus ita, ut ſiniſtram ſe aggreſſuros ſimularent, reipſa in dextram mœnium partem irrumperent. Sub ſextam veſpertinam initium oppugnationi factum. Acriter ſane dubioque diu marte dimicatum eſt ob incredibilem obſeſſorum pertinaciam, quibus fixum ratumque fuit vincere, aut mori: dum denique victor miles per ruinas eluctatus, ſigna in muris defixit. Mox cedentibus loco Turcis, noſtri majore illapſi numero, aciem in foro inſtruunt, Turcasque in orbem collectos ſternunt. Occiſo pugnandum inter loci

Gu-

[redacted]

Gubernatore, pauci in arcem ſe recipiunt, quibus poſtea a Lotharingo vitæ gratia facta A). Urbe hunc in modum capta, Sereniſſimi Electoris, & Caroli Lotharingi eluxit inſignis modeſtia, dum alter alteri captæ urbis gloriam tribueret. Quis tum militis lætitiam explicet? quis Hungarorum gratulationes deſcribat? quorum non leve fuit ad victoriam momentum, qui in difficillimis aggreſſionibus, præcipue cum gladiis rem agi oportuit, fortitudinem ſuam probarunt, atque tum demum ſanguinis a ſe profuſi pretium ſe cumulate recepiſſe cogitabant. At Cæſar accepto Budæ expugnatæ nuncio, Deo tam propitio liberales egit gratias, quod ſibi demum eam gloriam reſervaſſet, quam ejus majores Auſtriaci Reges cum tantorum exercituum interitu toties necquidquam requirebant A).

A) Hos inter fuit Csonka Begus, qui in ſacro fonte Leopoldi nomen conſecutus, utilem poſtea Cæſari Hungarorum Tribunus navavit in bello Gallico operam.

LEOPOLDUS M.

A). Solvit autem ſemet voti Religione, dum in expugnatæ Budæ memoriam die II. Septembris per univerſum orbem D. Stephanum I. Hung. Regem ſolitis Eccleſiæ ritibus coli a Pontifice Innocentio XI. impetravit B). Budenſis urbis recuperatæ glo-

A) Ab eo tempore quo Budam Solimannus Ferdinando I. Regi An. MDXXIX. eripuerat, proh quantum ad ejus mœnia ſanguinis inutiliter profuſum! quot illuſtres forteſque viri cecidere! Poſt Joannis de Zápolya obitum oppugnata fuit Ferdinandi juſſu Duce Leonardo Velſio An. MDXL. tum anno inſequente per Wilhelmum Rogendorfium: Anno MDXLII. auſpiciis Joachimi Brandeburgici Principis, ſed irrito ſemper conatu. Rurſum ſub Rudolpho Rege obſeſſa fuit An. MDXCVIII. per Mathiam Archiducem, & quadriennio poſt per Roſwurmium. Denique An. MDCLXXXIV. Caroli Lotharingi conatus irritos reddidit; quoad hoc demum anno ejusdem virtuti ſuccubuit, ut illuſtrior poſtea reſurgeret. Porro Budenſis expugnationis modum lege apud Wagnerum in Hiſtoria Leopoldi Magni, Cl. Bellum, Schmitth, & paſſim alios.

B) Fauſtiſſimæ diei II. Septembris memoria Budæ annis ſingulis magna populi concurrentis frequentia & pietate celebratur.

[redacted]

gloriam auxere Szegedinum, & Quinque-Eccleſiæ eodem anno Turcis ereptæ.

LEOPOLDUS M.

Qui illius fructus?

XVIII. Buda, cujus præcipue firmitate res Turcarum in Hungaria ſteterant, in libertatem aſſerta, incredibilis univerſam Aſiam luctus occupavit. Turcarum Imperator, quo certiſſimam imperii ſui ruinam averteret, pacem efflictim a Cæſare flagitavit, pollicitus cetera inter ſe Tököliium vinctum ejus poteſtati traditurum. At Cæſar favente ubique fortuna, Tökölii molitiones parvi pendens, niſi Turcæ, quidquid olim ad S. Coronæ Hungariæ jus ſpectabat, ſine mora reſtituerent, nullam pacis ſpem fore clare edixit. Curas per idem tempus ad Transſilvaniam exporrexit Cæſar, ut ne quid Turcis, aut Tökölio in ea Provincia eſſet perfugii, quare de ſocietate Turcica abjicienda, ſecumque ineundo fœdere ſacro A) Appaſſium interpel-

A) Inierat Cæſar ſacrum fœdus contra nominis Chriſtiani hoſtem cum Polonis, Venetis, aliisque Chri-

LEOPOLDUS M.

pellavit. Negotium tum cœptum opera Caroli Lotharingi viam complanante Michaele Teleki, ac idcirco in S. R. I. Comitum ordinem relato, transactum Anno M. DCLXXXVIII. his præcipue capitibus: Appaſſius, [illegible] ectus filius Michael bona fide [illegible] ransſilvaniam: iis extinctis [illegible] rdinibus Regni electio novi P [illegible] toties res poſtulabit, opem [illegible] vanis Cæſar, ita tamen; ut copiæ au[illegible]liares Principis ſubſint imperio: gemina loca Claudiopolis, & Deva Cæſarei militis præſidium recipiant, non niſi ceſſante bello diſceſſurum. Pax cum Turcis confici nequeat, niſi eadem comprehendantur Transſilvani. Nec mora immiſ-

Chriſtianis Principibus, ad quod Appaſſius Princeps invitatus acceſſit An. MDCLXXXVII. Obiit autem An. MDCXC. relicto filio cognomine, qui cum per ætatem difficillimis iis temporibus regendæ provinciæ impar eſſet, Ordinibus Regni conſentientibus Leopoldus ſolenni edito Diplomate Transſilvanos in fidem recepit An. MDCXCIII. eisdemque ſubinde Gubernatorem præfecit Comitem Georgium Bánfi de Loſontz Dionyſii filium.

[redacted]

LEOPOLDUS M.

immiſſus in Provinciam Cæſaris miles: ipſi etiam Transſilvani ea jugum Turcicum excutiendi opportunitate uſi, ad arma certatim convolarunt, eademque auſpiciis Michaelis Teleki in Turcas, & Tököliuum magno rei Chriſtianæ commodo ſtrinxere. Sæpe quidem Turcæ ampliſſimis promiſſis Transſilvanos ad priſtinam ſocietatem revocabant, ſed irrito ſemper conatu; quæ Transſilvanorum fides non modo ad Turcarum ruinam, verum etiam frenandas poſtea Rákotzianorum molitiones plurimum attulit momenti.

Quanta Cæſaris gloria continuatum bellum?

XIX. Ex eo tempore lætiſſimas ubique legebat victorias Cæſar, potiſſimum Caroli Lotharingi Ducis invictiſſimi, item Maximiliani Bavariæ Ducis, & Ludovici Marchionis Badenſis auſpiciis: Ann. MDC. LXXXVII. cæſus in Mohàchianis campis Turcarum exercitus, cladis ſub Ludovico II. Rege acceptæ memoriam abſterſit. Occupatum in caſtris ærarium Turcicum, ceteraque ſpolia V. millionibus æſtimata, ad victoriæ cumulum acceſſit: Eſſekinum,

Poſſe-

LEOPOLDUS M. Poſſega, Petri-Varadinum, & reliquæ circum minoris nominis arces. An. MDC. LXXXVIII. Helena Zrinia Tökölii Conjux Franciſci Junioris Rákotzii, de quo inferius, Mater poſt toleratam triennio obſidionem Munkátſienſis arcis deditionem fecit die XIV. Januarii. Turcis autem erepta Alba Regia: tum vero Lotharingo ægrotante, ductu Maximiliani Bavariæ Ducis, armata manu expugnatum die XXVII. Auguſti Belgradum cum omni Servia. Anni hujus expeditionem clauſit memorabilis victoria per Ludovicum Badenſem de Turcis in Bosnia reportata. An. MDCLXXXIX. commiſſa omnis belli in Hungaria gerendi adminiſtratio Ludovico Badenſi non minorem ſucceſſum habuit. Profligati primum ad Moravam Serviæ amnem Turcæ, tum vero ad Niſſam, ubi caſtra & impedimenta omnia victoribus ceſſere. Subacta mox Niſſa ipſa Viddinum, Sophia, atque, ut paucis complectar omnia: anno hoc univerſa Bosnia, Albania, & Valachia in Leopoldi dominatum conceſſit. Nihil jam Turcis in Hungaria præter Temesvarum, &

Va-

[redacted]

Varadinum reſtabat, quæ duo loca haud diu oppugnationem toleratura videbantur.

Quomodo mutata fortuna?

XX. Hactenus Cæſar ſecundam ubique expertus fortunam, mox adverſam ſentire cepit. Tot cladibus perculſi Turcæ preces ſuas pro pace apud Cæſarem integrabant. Annuit ille ſi oblatis ſibi conditionibus vellent ſubſcribere: hæ autem erant: Turcæ quidquid adhuc in Hungaria, aut terris ad eam ſpectantibus poſſidebant, continuo reſtituant, omnique in ditiones Hungaricas jure in futurum ſe abdicent. Valachia, Moldavia, & Raguſana Reſpublica, quemadmodum olim, in Regis Hungariæ clientela perſiſtant, nullaque ratione a Turcis deinceps infeſtentur: ad compenſandos belli ſumtus VI. florenorum milliones Cæſari numerentur. Captivi Chriſtiani omnes remittantur: Tőkőlius cum ſociis Cæſaris manibus conſignetur. Conditiones hæ adeo graves Turcis videbantur, ut in deſperationem verſi bellum extremis viribus inſtaurandum decreverint, ductu Kuperlici Vezirii, viri fortis, & rei militaris peritiſſimi.

LEOPOLDUS M.

mi. Itaque annus MDCXC. minus felix Leopoldo fuit. Imprimis Albani & Serviæ populi Cæſarei militis, & quæſtorum licentia, atque avaritia offenſi, a Leopoldi Dominio abhorrere ceperant, adeo ut Turcas in auxilium evocarent. Itaque Kuperlius ea incolarum propenſione animatus, caſtra promovet, Niſſam, Viddinum, & Belgradum, quod non ſine inſigni negligentiæ labe noſtri biennio a ruinis reparare omiſerant, levi negotio recuperat. Id ſaluti Hungariæ fuit; quod Kuperlius eo ſucceſſu contentus, ne fortunam aliquo fato corrumperet, ulterius progredi vereretur. Res enim noſtræ non optimo erant loco; major Germanici exercitus pars ad Rhenum transmitti debuit, ubi Ludovicus XIV. Galliæ Rex in tertium jam annum tragœdias agebat, pulcherrimasque Chriſtianorum in Turcas ſpes importuno hoc bello corrupit. Adhæc Ludovicus Badenſis cum toto pene exercitu ad ejiciendum e Tranſſilvania Tökölium abierat, quem demortuo eodem anno Appaffio ſeniore, Sultanus Principem nominarat, atque cum

XVI.

[redacted]

XVI. Turcarum millibus in Provinciam immiſerat. At enim Ludovici Badenſis virtute in Valachiam retruſus ſuit Tôkôlius, principatusque Transſilvaniæ Michaeli Appaſſio juniori reſtitutus A), atque ita milite firmatus, ut Tôkôlii molitiones deinceps inutiles redderentur. An. MDCXCI. nulla facta acceſſio, præter celebrem illam ad Szalankemenum victoriam Ludovici Badenſis virtute partam: cladis magnitudinem (ferunt enim XXV. millia occubuiſſe) auxit Vezirii, & præcipuorum apud Turcas Ducum interitus, qui, ut ſuos ad pugnam animarent, vincere vel mori decreverant. Caſtra omnia, & præda pluribus æſtimata millionibus victoribus ceſſere. Annus MDCXCII. Magnovaradinum nobis reſtituit. Ab hoc autem anno usque ad MDCXCVII. ſi geminas relatas ab hoſtibus victorias demas; nil præterea memorabile

LEOPOLDUS M.

A) Appaſſius Junior non diu rerum Potitus, reſignató principatu Viennam ſe recepit, ubi Ann. MDCCXIV. vitam clauſit nulla relicta ſobole ex Catharina conjuge, Gregorii de Bethlen filia.

LEOPOLDUS M.

in Hungarià geſtum erat ; licet Cæſareus exercitus ex Hungaris Germanisque conflatus, eſſet florentiſſimus: culpa omnis in Capraram conjicitur: is enim pluribus annis ſuo genio adverſus Tököliaños bellum gerere aſſuetus, Friderico Auguſto Saxoniæ Electori, poſtea Poloniæ Regi, cui Cæſar ſupremum in copias imperium crediderat, ſubeſſe pudori ſibi vertens, ſuis cum Duce ſimultatibus ſpes Cæſaris, & ſumtus in bellum profuſos inutiles reddidit. Interea Comes Adamus de Battyán Illyrici Banus, & Forgátſius aliquot in Dalmatia arcibus Turcas multarant. Illud autem toto hoc bello in lucris fuit, quod Tökölius & Turcæ conſtanter ab occupando Transſilvaniæ principatu ſint excluſi.

Quomodo concluſa pax Carlowitzenſis?

XXI. Ea Cæſarei exercitus ceſſatione creſcebant Turcis animi, atque in ſpem veniebant, res ſuas in Hungaria reſtituendi: præcipue; quod bellum Gallicum militem Cæſaris in Hungaria diminueret, Cæſar ipſe ad pacem inclinabat; ſed verebatur, ut Turcæ conditionibus, quas ipſe propoſiturus

[redacted]

LEOPOLDUS M.

ſiturus erat, ſubſcriberent, melioris fortunæ expectatione animati. Itaque bello adhuc rem tentare conſtituit, cujus adminiſtrandi provinciam Eugenio Sabaudiæ Duci commiſit, omine ſane quam fauſtiſſimo electum Ducem eventus probavit. Ann. MDCXCVII. ipſe Turcarum Imperator belli aleam experiri voluit: Tököljii ſuaſu Szegedini oppugnatio decernitur. Eugenius, qui & Turcarum pugnandi morem, & locorum in Hungaria ſitum longo uſu perſpectum habebat; etſi ad Petrovaradini mœnia exercitum in caſtris continere juſſus erat, hoſtem inſequitur atque ad Zentam conſtitit. Hic Turcæ ſtrato ſuper tibiſcum ponte, tum forte equitatum in adverſam ripam transmittebant; hoc libere abire permiſſo, cum peditatus trajicere parat; Eugenius una pontem deſtinatis tormentorum ictibus disjicit; una pedeſtres Turcarum copias toto Tibiſco ab equitatu diviſas vallis tamen & foſſis communitas adoritur: ſit cædes, qua bello toto nulla major, pars noſtrorum armis conciſa: pars in flumen præcipitata interiit: triginta Turcarum ac

LEOPOLDUS M. potiſſimum Janicsarorum millia eo prælio cecidiſſe ferunt: neque enim laborantibus ſuis equeſtres Turcarum copiæ ſubvenire poterant, ponte deſtitutæ; continuis item tormentorum noſtrorum ictibus a trajectu prohibitæ. Vezirius in pugna occubuit; Imperator autem cum tribus ſuorum millibus fuga ſe Temesvarinum ſubduxit: inde accelerato itinere Bizantium redux non jam de bello, ſed pace cogitare cepit. Leopoldus tam inſigni victoria potitus, Eugenium, quod contra conſilii bellici decretum pugnam iniiſſet, in jus vocatum, non modo pœna omni abſolvit; verum etiam poteſtate ampliſſima inſtruxit, bellum deinceps ingenio & arbitrio ſuo adminiſtrandi. Verum nihil porro memorabile actum eſt: Turcæ enim omni melioris ſucceſſus ſpe dejecti, eousque urgebant Cæſarem; dum denique inducias daret. Carlovicium delectum eſt, quo utriusque partis Legati convenirent, pacis conditiones definituri, poſt conſultationes aliquot, concluſa in XXV. annos pace, Leopoldo relicta omnia, quæ præterito bello occupaverat:

[redacted]

verat: ditionibus Hungaricis hinc Savus; inde Maruſius limes poſitus: Transſilvania juri Turcico penitus ſubtracta: ſola Temeſienſis urbs cum circumſita regione in Ottomanorum poteſtate relicta eſt. Tabulæ pacis die XXVI. Januarii An. MDCXCIX. ſignatæ ſunt.

LEOPOLDUS M.

XXII. Hunc habuit exitum diuturnum illud per annos XVI. geſtum bellum, quod alieniſſimo plane tempore ad opprimendum Leopoldum, ſubjugandamque penitus Hungariam, Turcæ poſthabita induciarum fide, ſuſcitaverant; Deus autem præter omnium expectationem, ad coronandam Leopoldi pietatem, & Hungariam e ſervitutis ſquallore vindicandam converterat; ut palam fieret, Hungariæ libertatem & ſalutem Deo primum victoriarum largitori; tum vero Leopoldi Cæſaris pietati deberi. Gratos nos deinde eſſe oportet Innocentio XI. Pontifici Maximo, qui plus, vicies centenis aureorum millibus ad bellum hoc Leopoldo transmiſit, exemploque ſuo Georgium Szécsényium Primatem,

Quorum opera e ſervitute vindicata Hungaria?

LEOPOLDUS M.

ceteroſque Hungariæ Antiſtites ad ſuas, Eccleſiarumque opes in tam pium opus profundendas animavit. Gratia ſit S. R. Imperii Principibus! qui laboranti Hungariæ opportunis copiis ſubvenerunt: nominatim autem Friderico Auguſto Saxoni, & Maximiliano Bavaro Electoribus, quod rei Chriſtianæ adjuvandæ ſtudio accenſi, caput ſuum diſcrimini objicere, & pluribus annis in difficili hac arena verſari non reformidarint. Gratia ſit majoribus noſtris! Regni Proceribus, & Nobilibus, qui ſincera in Patriam caritate inflammati, toto eo bello, copioſo cum milite in caſtris aderant, maximis plerumque objecti periculis: quorum alii quidem generoſe occumbendo, vincendo alii reſurgenti Patriæ manum porrexere. Denique qui præcipuas expeditione hac partes egit, quoque Duce melior fortuna nobis aſpirare cepit, immortales gratiæ ſint invicto Heroi Carolo V. Lotharingiæ & Barri Duci, cui præter alias illuſtres victorias, ſolutam non ſine hoſtium clade, principem Auſtriacæ dominationis urbem Viennam, & Regni Hungarici

[redacted]

rici Metropolim Budam e duorum prope ſeculorum ſervitute liberatam debemus, non ſine fauſtiſſimo omine; futurum aliquando, ut utrique huic urbi ejus poſteri dominentur. Et vero habebit immortali Duci Carolo gratias aliquando Hungaria: habebit & Auſtria. Veniet tempus cum illi ex Leopoldo filio naſcetur nepos FRANCISCUS, in cujus manus conveniet MARIA THERESIA Leopoldi M. Cæſaris ex Carolo VI. filio neptis, avitarum ditionum hæres unica, Domuique Lotharingicæ, Romani Imperii dignitatem procurabit. Piis Auguſtisque Conjugibus his cœlum elegantem & numeroſam largietur ſobolem, in quam ſeſe Auſtriacus, & Lotharingicus ſanguis feliciſſime propagabit. Veniet hinc Joſephus II. Rom. Imperator, Matris & Patris. Avorum imago pulcherrima, earum, quas Carolus Lotharingus Proavus Ottomanis eripuerat, ditionum hæres optatiſſimus: qui in juventute adhuc Hungariam, Transſilvaniam, Germaniam, Italiamque peragrabit, futuræque magnitudi-

LEOPOLDUS M.

LEOPOLDUS M.

nis expectatione univerſum orbem com[illegible]lebit.

Quando introducta ſucceſſio maſculina?

XXIII. Sed hæc ſerius evenient, quibus jam Leopoldus Cæſar viam complanavit, [illegible] uri ſumus; Buda Regni [illegible] busque urbibus recuperatis [illegible] um in Hungaria imperium [illegible] pulſum, haud procul ab inte[illegible] videretur, Leopoldus ſuorum in [illegible] riam meritorum probe conſcius, in ſpem venit conſilii illius, quod majores ejus necquidquam tentarant, exequendi. Itaque in ipſo victoriarum curſu An. MDCLXXXVII. ad XV. Calendas Novembris univerſos Hungariæ, & Illyrici Ordines Poſonium ad generalia Comitia evocavit. Aderat Cæſar ipſe Leopoldus ad præſtitutum tempus, propoſitisque cum majorum ſuorum; tum vero ſuismet in liberanda Hungaria meritis petebat, ut Hungari in ſuæ gratitudinis teſtimonium, antiquato electionis jure, Regni Hungarici coronam poſteris ſuis primogenitis maſculini ſexus in perpetuum transſcriberent; qui-

bus

[redacted]

bus deficientibus, alter, qui in Hiſpania regnabat, Auſtriacæ ſtirpis virilis ramus ſuccederet. Hungari tot tantorumque beneficiorum recordatione in clementiſſimæ Domus amorem exardeſcentes, citra dubitationem omnem æquiſſimis Cæſaris votis ſubſcripſere:. duo tamen orabant, primum; ut ſi uterque ramus aliquando deſineret, integrum ſibi foret, ad priſtinam redire electionis libertatem: alterum; ut Reges, qui hæreditario jure deinceps ſucceſſuri eſſent, inaugurationis tempore ſolitum Ordinibus jusjurandum nuncuparent de conſervandis, quemadmodum in Andreæ II. decreto expreſſæ ſunt, immunitatibus. Primum liberaliter annuit Leopoldus; alterum ita temperavit; ut ſucceſſores de omnibus Andreæ Regis Bullæ aureæ capitibus caverent, demto Articulo XXXI., in quo regnicolis facultas permittebatur citra infidelitatis notam Regi ſuo, ſi promiſſa violaret, contradicendi; quo articulo multorum ambitionem, & avaritiam abuſam, bellisque civilibus oblatam fuiſſe occaſionem longa docuerat experientia. Con- LEOPOLDUS M.

LEOPOLDUS M.

ſentientes in hoc etiam habuit Leopoldus .egni Ordines; quapropter unanimi vo- ıntate laudatus XXXI. Bullæ aureæ arti- ulus in perpetuum antiquatus fuit. Per- ƈta deinde Joſephi Archiducis in hæredita- m … gem electio, miſſique ı … ui hæreditarium Prin- n … m inaugurationem in- tare

Quando peracta Joſephi Regis inauguratio?

XX… Rebus hunc in modum ex ſen- tentia peractis, Cæſar ſacroſanctum Regni Hungarici diadema, quod civilium bello- rum tempore Viennam ablatum in concla- vi ſuo aſſervabat, Poſonium ſumma cum pompa deportari curavit. Dies IX. De- cembris inaugurationi aſſignata: Georgio Széchény Strigonienſi Archiepiſcopo Hun- gariæ Primati is primus honor obtigit; ut hæreditarium Hungariæ Regem Joſe- phum hujus nominis I. conſueto diadema- te inſigniret. Primus item fuit Joſephus, qui in formula juramenti, decreti Andreæ II. articulum XXXI. conceptis verbis ex-

clu-

[redacted]

cluſit A). Inauguratio, & quæ hanc conſequi ſolent, hilaria ſumma cum Cæſaris opi- LEOPOLDUS M.

A) Ut appareat quid in formula Juramenti hoc tempore immutatum ſit, huc eam adſcribemus, verbis illis, quæ addita ſunt, diſtincto charactere expreſſis. Sic autem habet: „Nos Joſephus Dei gra-
„ tia Rex Hungariæ &c. juramus per Deum vivum,
„ per ejus ſanctiſſimam Genitricem Virginem Ma-
„ riam, per omnes Sanctos, quod nos Eccleſias
„ Dei, Dominos Prælatos, Barones, Nobiles, Ci-
„ vitates liberas, & omnes Regnicolas in ſuis im-
„ munitatibus & libertatibus, juribus, privilegiis
„ ac in antiquis bonis, & approbatis conſuetudi-
„ nibus (*prout ſuper eorum intellectu, & uſu,*
„ *Regio ac communi ſtatuum conſenſu Dietaliter*
„ *conventum fuerit.*) Conſervabimus, omnibusque
„ juſtitiam faciemus. Sereniſſimi quondam Andreæ
„ Regis Decreta (*excluſa tamen & ſemota arti-*
„ *culi XXXI. ejusdem Decreti clauſula, incipien-*
„ *te; quodſi vero nos & cet. usque ad verba: in per-*
„ *petuum facultatem:*) obſervabimus, fines Re-
„ gni noſtri Hungariæ, & quæ ad illud quocunque
„ jure aut titulo pertinent, non abalienabimus, nec
„ minuemus, ſed quoad poterimus, augebimus,
„ & extendemus, omniaque alia faciemus, quæ-
„ cunque pro bono publico, honore, & incremen-
„ to omnium ſtatuum ac totius Regni noſtri Hun-
„ gariæ

LEOPOLDUS M.

optimi voluptate; Hungarorum autem lætitia terminata ſunt. Illud autem ad ſolatii cumulum acceſſit, quod Cæſar cum Ordinum Regni; tum vero filii ſui jam Regis precibus victus, non modo, pœna condonata, in gratiam receperit omnes, qui in ſe aliquando arma ſtrinxerant; verum etiam celebrem illam commiſſionem Eperjeſienſem penitus abrogaverit: erant illic nonum in menſem partim e civili partim e militari ordine lecti Judices, qui Tökölii aſſeclas undique conquiſitos quæſtionibus ſubjicerent, ſupplicioque mulctarent. Hæc porro Cæſaris clementia ad eos etiam pertinuit, qui actu magno ſane numero carcere detinebantur, cauſæque ſuæ triſtem exitum expectabant. Hæc præcipue in Comitiis illis acta ſunt; Leges paucæ præterea perlatæ. Cancellariæ Hungaricæ additi gemi-

„ gariæ juſte facere poterimus; ſic nos Deus adjuvet, & omnes Sancti. „ Vide Articul. I. horum Comitiorum, confer item formulam Juramenti Ferdinandi I. in Decreto An. MDXXVII. ut habetur in Codice Juris Patrii.

LEOPOLDUS M.

gemini Hungari Conſiliarii: Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano priſtina auctoritas reſtituta. Permiſſa Magnatibus, bona tamen Regis venia, Majoratus inſtituendi facultas. Ordo in Comitiis ſedendi Proceribus definitus: nominati e ſacro, & profano ordine viri, qui Regni ab hoſtibus jam liberi veteres in omnem partem limites innovarent. Unanimiter ſancitum; ut Religio Societatis Jeſu in Regnum Hungariæ, & partes ei annexas pro recepta, & ſtabilita habeatur. Proteſtantibus in Hungaria libertas priorum Cõmitiorum lege aſſerta, per Hungariam denuo firmata eſt; non item in Illyrico. Denique magno numero viri illuſtres exteri, qui aut bello, aut pace de Patria bene meriti videbantur, in corpus Hungarorum cooptati ſunt. Quæ omnia poſtquam Regia auctoritate probata fuiſſent, A). Antiſtites, Proceresque lætiſſimi domum abiere, optata jam diu tranquillitate fruituri. Nemo jam tum quidquam

A) Signatum eſt Decretum VIII. Calendas Februarii An. MDCLXXXVIII. in Codice Jur. Patrii.

LEOPOLDUS M.

quam dimovit præter Tökölium. Homo arrogans, & non Regis modo, verum & Regni hoſtis declaratus, nova inde arrepta criminandi materie, auſus fuit, adverſus Comitiorum ſtatuta inſurgere, ac nominatim contra hæreditariam ſucceſſionem, & Articuli XXXI. Bullæ aureæ abolitionem famoſos libellos, per Regnum ſpargere, ut reſpirantem ab exitio Hungariam novis rurſum motibus implicaret.

Quis Hungariæ ſtatus poſt Comitia?

XXV. Jacta hæc a Tökölio ſcintilla funeſtum mox excitavit incendium. Terminatis Poſonienſibus Comitiis, poſt oppreſſas domeſticas turbas Cæſar majore, quam antea, ſtudio Rempublicam complexus, huc curas ſuas tranſtulit; ut Hungariam abſterſo ſquallore, priſtinæ redderet felicitati. Eum in finem id genus commutationes faciebat, quæ ad Regni tranquillitatem ſtabiliendam opportunæ videbantur. Multæ arces, quæ olim Tökölio aſylum præbuerant, dirutæ; aliæ ſuis locis inſtauratæ, Germanicoque communitæ præſidio: huc deputata vectigalia, mitius multo,

quam

[redacted]

quam ante exacta. Religio Catholica, ad quam penitus reſtituendam bello durante, voti ſemet religione a) obſtrinxerat Cæſar, multarum illuſtrium familiarum converſione mirum in modum aucta refloreſcebat. Denique poſita, quam ex diuturnis turbis conceperat, indignatione Cæſar fidentius jam Hungaris ſive bello, ſive pace uti ceperat; multæ e popularibus conſcriptæ ſunt Legiones, quæ fidelem non minus, quam utilem domi in Turcas; tum vero paulo tardius in Gallos, & Hiſpanos Carolo filio obſiſtentes navabant operam. Sed pulcherrimas has reviviſcentis Hungariæ ſpes, & Cæſaris optimi conatus præcidit quorundam,

LEOPOLDUS M.

a) Anno MDCXCIII. Viennæ ad D. Stephani votum nuncupaverat Leopoldus, ſe operam omnem collocaturum, ut Hungari ad Eccleſiæ Catholicæ ſinum revertantur, & ſincero cultu Deum adorent: ut priſtina gentis in Magnam Dominam Deiparam pietas efflo eſcat: ut Eccleſiæ Parochiales a Turcis everſæ reſtaurentur: locorum Curionibus ſacris ſufficientia vivendi adjumenta ſuppetant. Formulam porro voti hujus primus vulgavit Timon in Epitome Chronologica ad hunc annum.

LEOPOLDUS M.

dam, queis Tököllianæ calamitates præ otio placebant, inquies animus, quod qui acciderit, candide exequemur: nihil non veri dicere auſuri.

Quæ initia belli Rákoczianí?

XXVI. Mox a concluſa A. MDCXCIX. ad Carlovitzium cum Turcis pace, clandeſtini in ſuperiore Hungaria conventus imprudente Cæſare agi cepere. Querebantur: Hungaris ne in conſilium quidem vocatis, transactum de pacis conditionibus; ubi de limitibus definiendis agebatur, ditiones Hungaricas *Germanici Imperii* appellatione notatas: diris hic devovebantur Poſonienſium Comitiorum decreta, puta ſucceſſio hæreditaria, & Bullæ aureæ, quoad Artic. XXXI. abrogatio. Sublato hoc quaſi propugnaculo, interituras brevi totius gentis prærogativas, conſervatamque tot ſeculis libertatem ſuapte ruituram. Ad hanc igitur revocandam crebra cuduntur conſilia; hic ſcopus præfigitur, ad quem obtinendum omnis conatus intenderetur. Cetera enim tum jactata leviora erant, & ſtudioſe excogitata ad vulgi animos ſub

ſigna

[redacted]

ſigna conciendos: ut ſunt alieni ad ſacras & profanas dignitates evecti, miles externus Regno nondum eductus, atque in incolas interdum parum humanus, ſtabilia vectigalia Regno impoſita, templa multa Catholicis poſtliminio reſtituta, Collegia Jeſuitarum, & Gymnaſia in Proteſtantium urbibus, Antiſtitum munificentia, & Cæſaris auctoritate excitata, multorum ex iis, qui Tököliо quondam perdite ſtuduerant, ſupplicium aut exilium, & his conſimilia, quæ aliis etiam temporibus jactata meminimus. Ex his itaque cauſis omnibus decreta in Cæſarem Confœderatio, cui mox principio octoginta capita auctorata ſunt. Unus, qui rem conſilio, æreque ſuo ſuſtineret, Dux deſiderabatur. Nemo viſus opportunior Franciſco Rákotzio Emerici Tökölii privigno, qui tum forte cum Carolina Amalia Caroli Landgravii Haſſo-Vanfridenſis filia, conjuge ſua in Hungaricis bonis ſuis Saroſſini tranquillam agebat vitam. Adeunt itaque crebrius ſalutandi ſpecie Generoſum Juvenem, atque ad Regni libertatem, quæ nupernis Comitiis ſublata erat,

LEOPOLDUS M.

vindicandam appoſitis ſermonibus invitant. Diu anceps hærebat Rákotzius paterna cura Leopoldi Cæſaris, & Cardinalis Collonichii Tutoris optime a pueritia educatus: verſabatur ei ante oculos perfidiæ, & ingratitudinis nota, tum incertus belli exitus; quo ſi ſuccumberet, quemadmodum Tökölio factum, honores, & fortunæ ampliſſimæ peſſumitura eſſent. Ac inſtabant illi, crimini imprimis æquitatis, & in Patriam caritatis velum induxere; metum autem exemere, aſſerentes: ut primum claſſicum ſuſtuliſſet, totam continuo Hungariam, & Transſilvaniam in armis futuram, ventura a Ludovico XIV. Galliæ Rege liberaliſſima ſtipendia, architectorum, & militaris ſcientiæ peritorum copiam: ſpes quidem hæ non vanæ fuerant; nihil enim Gallis optatius eſſe poterat, quam Leopoldum domeſticis turbis involvi, quo tempore ab ipſis bellum in Hiſpania totis viribus ad excludendum inde Carolum gerendum erat. His, aliisque ſimilibus inductus machinis in exitium ſuum præceps ruit Rákotzius. Priusquam autem rem tantam

adver-

[redacted]

adverſus Cæſarem aggrederetur, communi conjuratorum nomine litteras ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem deſtinat, easdemque Longuevalio Badenſis Legionis in Saroſſienſi Provincia hibernantis Centurioni, homini ſibi familiari eo perferendas tradit. Verum ille fidem Principibus debitam privatæ præhabens amicitiæ, Anno MDCC. reſignatis Cæſari litteris, conjurationis & capita, & conſilia patefecit. Ea re cognita Cæſar, miſſis ad militiæ Præfectos mandatis, juſſit factionis Principes nulla interpoſita mora comprehendi. Bertsényius paucique alii præcipiti in Poloniam fuga captivitatem evaſere; at Rákotzius in arce ſua Sároſſia noctis ſilentio oppreſſus, Neoſtadium Auſtriæ urbem ad carcerem deductus fuit. Verum hæc etiam præda e Cæſaris manibus elapſa eſt; inſequente enim anno MDCCI. die IX. Novembris Lehmanni Centurionis multo auro corrupti conniventia factum, ut Rákotzius e cuſtodia & urbe egreſſus, citatiſſimis itineribus in Poloniam evaderet. Vehementer ea re commotus Cæſar, Leh-

LEOPOLDUS M.

LEOPOLDUS M.

manno ſuppliciis addicto, Rákotzii cauſam examinari juſſit, cum vero An. MDCCIII. die XXX. Aprilis abſentem publicatis bonis proſcripſit.

Quam funeſtum Hungariæ?

XXVII. Sed fruſtra jam ſuit ea Cæſaris ſententia: Rákotzius enim biennio, quo in Polonia egit, Legati Gallici Varſaviæ commorantis opera, dudum jam ante ceptum cum Ludovico XIV. tum maxime de conſervanda Philippo nepoti ſuo Hiſpania ſollicito fœdus ad exitum adduxit, optatiſſimaque & pecuniæ, & Ducum militarium ſubſidia impetravit; ut parem ſe jam bello in Cæſarem gerendo exiſtimaret. Itaque collatis cum Bertsényio conſiliis, per occultiſſimos nuncios, & litteras, veteres ſuos in Hungaria clientes ad arma capienda ſollicitat, oratque, ut cum ipſe e Polonia redierit, quam poſſent maximis copiis venienti occurrerent. Ceſſere cuncta e ſententia: e Polonia enim ſub æſtatem anni MDCCIII. redux, multa armatorum millia in montium faucibus ſe præſtolantia offendit. Nec mora ingens ad Rákotzium con-

concurſatio facta, præcipue poſtquam vehementibus litteris belli civilis cauſas vulgavit, ſingulosque ad Patriæ, Religionumque libertatem vindicandam animavit. Multi ob affectos olim per commiſſionem Eperjeſſienſem ſupplicio Parentes & propinquos vindictæ ſtudio; multi prædandi, opesque ſuas alienis damnis augendi deſiderio; Proteſtantes templorum, Gymnaſiorumque ſuorum recuperandorum ſpe, ſub Rákotzii ſigna convolabant: non pauci viri illuſtres a conjuratis improviſo deprehenſi, ut a bonis ſuis vaſtationem; aut etiam á ſe mortem intentatam averterent, communi illo torrente ſunt abrepti. Denique paucos intra dies adeo crevit conjuratio, ut Rákotzius XX. armatorum millibus ſe circumſeptum videret. Deliberatum poſtea fuit de belli gerendi ratione: Rákotzius auctor erat, ut Tököl ius e Turcia evocaretur, eidemque ceu viro belli experto rei ſumma committeretur; ſed cum ille in promptu non eſſet A). Communi

A) Ferunt Emericum Tökölium reapſe redire paran-

LEOPOL-DUS M. omni conſenſione Rákoczius confoederatorum Dux declaratus fuit; verum tamen juramento obſtrictus, ſe nil unquam citra Senatorum ſcitum acturum, neque cum Caeſare; niſi iis praeſentibus, in gratiam rediturum: quem in finem additus illi Senatus XXIV. virorum, qui literas omnes ad eum datas, aut ab eo miſſas ante reviderent: quae res poſtea & Rákoczio ipſi, & Caeſari maximas objecit difficultates, ne pax toties tentata conficeretur. Sic conſtituta apud Confoederatos Republica, bellum geri coepit incredibili cum ſucceſſu; irreparabili nihilominus afflictae Hungariae damno. Brevi temporis ſpatio, non Caſſovia modo cum utraque tibiſci regione; verum

---

parantem in itinere lethali morbo correptum fuiſſe, ex quo etiam, poſtquam in manibus P. Franciſci Bernierii S. J. Miſſionarii Catholicam fidem profeſſus eſt, deceſſit idibus Septembris An. MDCCIV. in Armenorum Eccleſia Nicomediae ſepultus. Praeceſſerat jam ante virum Conjux Helena Zrinia XII. Calendas Martii anno ſuperiore ſublata, conditaque Calatae apud PP. Societatis Jeſu.

[redacted]

rum etiam montanæ urbes omnes non ſine ingenti ærarii regii jactura in confœderatorum venere manus. Quacunque autem iter factum, Nobiles æque atque agreſtes admotis minis & terroribus ſub Rákotzii ſigna auctoritati, magnis in dies incrementis augebant confœderatorum numerum; ut totam pene ſuperiorem Hungariam Poſonium usque in poteſtate haberent. Non eæ quidem tum erant Cæſari vires, ut tantam tempeſtatem facile diſſolveret; potior enim copiarum pars contra Gallos pro Carolo filio Hiſpanicæ ſucceſſionis cauſa A) aberat; nil tamen turbatus

A) Ad belli hujus cauſas intelligendas ſciendum eſt: Philippum Auſtriacum (quem vide Genealog. Tab. I.) ex Joanna Regni Hiſpanici hærede geminos reliquiſſe filios: Carolum V. Cæſarem, & Ferdinandum I. qui ita hæreditarias ditiones inter ſe partiti ſunt, ut ille Hiſpanicis; hic Germanicis præeſſet terris: mutuoque ſibi ſuccederent. Caroli V. Cæſaris linea deſiit in Carolo II. Hiſp. Rege, An. MDCC. Hic præteritis Ferdinandi I. virilis ſtirpis poſteris, Hiſpaniam Philippo Ludovici XIV.

LEOPOLDUS M.

batus Cæſar, eas Legiones, quæ per Hungariam diſtributæ erant, ſapiente ſane conſilio in Tranſilvaniam Rabutino Duce immiſerat, certus ab ejus Provinciæ aditu Rákotzium prohibere; quæ ſi in fide perſtaret; bellum civile haud diu durare poſſe ſperabat. Multum præterea in Ducum ſuorum virtute confidebat, quibus ſi tempeſtive militum ſupplementa ſubmitteret, minore etiam numero de Rákotzianis bellico apparatu haud ſatis inſtructis triumphare poſſe videbantur.

Quæ Cæſaris ea propter conſilia?

XXVIII. Hæc quidem belli principio cogitabat Cæſar, at poſtquam XL. & amplius millia Rákotzii auſpiciis in ſe armata intel-

XIV. Galliæ Regis ex Delphino filio Nepoti tranſcripſit. Leopoldus eam hæreditatem ad ſe pertinere exiſtimans, vocatis in ſubſidium Anglis, & Hollandis Carolum filium ad oppugnandam Hiſpaniam dimiſit. Geſtum eſt bellum pluribus annis, ſucceſſu parum proſpero; cui demum Joſephi I. Cæſaris mors finem impoſuit, ob quam Carolus ad occupandas Germanicas ditiones revocatus, ex Hiſpanis emigravit.

[redacted]

intellexit, de reſtinguendo incendio cum ſuis deliberare cepit. Non pauci erant, qui eum ad continuandum quacunque demum ratione bellum, adimendamque conjuratis omnem veniæ ſpem ſtimulabant. At eorum conſiliis vehementer obſtitit Dux Eugenius, qui crebris ex Italia literis urgebat Cæſarem, ut ommiſſo bello pacem cum Hungaris qualibet honeſta conditione inire ſatageret; ſevere moneret militiæ præfectos, ne aſperius præſertim cum bello captis agerent: quin etiam auctor fuit Cæſari, ut nonnullos præclaros alias utilesque belli Duces ex Hungaria revocaret, ne, ut ob exercitam alias ſeveritatem Hungaris exoſi erant, pacis tractationem difficiliorem redderent. Obſtitit etiam durioribus conſiliis Joſephus filius coronatus jam Hungariæ Rex, qui cum Leopoldum parentem & ætate, & multiplicibus morbis attritum, haud diu victurum metueret; nil æque in votis habuit, atque ut ab ejus morte pacatam adiret Hungariam; alioquin nova belli tempeſtas a Bavaro ceterisque Bourbonicæ domus fœderatis in

LEOPOLDUS M.

Auſtriacam domum impendebat. Itaque multis precibus egit apud Patrem, ut bello, cujus exitus incerti, omiſſo, lenioribus remediis uteretur. Annuit filii voluntati Leopoldus, evocatoque ad ſe Paulo S[illegible]um Archiepiſcopo negoti[illegible]omine Rákotzium de pace [illegible]llicendique; fore, ut quer[illegible]expoſitis juxta æquitatem [illegible]niam item conſequerentur omnes, qui in Principem arma corripuerant, atque ita quidem; ut nullo unquam tempore vindictam metuendam haberent. Liberaliſſima hæc Cæſaris promiſſa ubi ad confœderatos delata ſunt, Rákotzius minime alienum a concordia præſeferebat animum; at obſtabant confœderati Senatores virium ſuarum robore confiſi, ut qui apud ſe clam ſtatuerant, Auſtriacos hæreditarii jam Regni Hungariæ poſſeſſione deturbare, formamque Reipublicæ Helvetis & Hollandis conſimilem introducere. Itaque non ſine gravi Cæſaris offenſione, omnem pacis tractationem rejecere, idque propterea; quod de ſincera illius ad promiſſa

[redacted]

LEOPOLDUS M.

miſſa implenda fide ſe dubitare aſſererent, non ſine ferocia jactantes, aliis etiam temporibus ampliſſimas pollicitationes ſibi majoribusque ſuis factas, quæ tamen, mutatata ſubito fortuna, nunquam effectui. datæ ſint. Atroci ea injuria etſi non leviter commoveretur Leopoldus, afflictiſſimi tamen Regni tranquillitatem & ſalutem ſuis anteponens doloribus, iterum datis ad Colocenſem litteris, pacis negotium proponi juſſit; ubi gravioribus verbis exaggerata priore injuria, negavit ſe conſcio ea omnia accidiſſe, quibus quæſtores, aut præfecti militares gentem interdum irritaverant. Ut autem de ſincero ſuo ad concordiam animo dubium omne tolleret, Joſephum filium Hungaricæ genti addictiſſimum arbitrum nominavit; quo ſe inter, & ſubditos unio coaleſceret. Sed neque iſtud multis probabatur, Anglos inſuper, & Hollandos pacis vades eſſe voluere. Itaque anno MDCCIV. conflatis menſium aliquot induciis, Schemnitzium conceſſere utriusque partis Oratores, iis quos dixi vadibus de pace acturi. Primi Rákotziani ſuas que-

relas

LEOPOLDUS M. relas explicare juſſi, longiſſimam poſtulatorum ſeriem propoſuere. Cetera inter: Comitia An. MDCLXXXVII. abolerentur: Hungaria ut olim electionis jus obtineat. Tranſſilvaniam; fiduciario tamen coronæ Hungaricæ nomine, Leopoldus Rákotzio traderet. Paulo S. R. I. Principe Eſzterházio exauctorato, Nicolaus Bertsényius Palatinus crearetur. Cum civiles, tum militares in Regno Magiſtratus ſolis Hungaris crederentur. Proteſtantibus templa omnia, quæ aliquando tenuiſſent, reſtituerentur, liberrimumque eſſet ubivis, & æquale religionum exercitium. Patribus Societatis Jeſu exilium dictaretur. Andreæ II. Regis Bullæ aureæ articulus XXXI. nuper abolitus, rurſum innovaretur. Hæc fuere confœderati Senatus poſtulata: quibus omnibus nec Leopoldus ſubſcribere poterat; nec adverſarii ipſi ſibi concedenda ſperabant. Neque mirum cuiquam videri debet, confœderatos adeo tum ab amplectenda Cæſaris clementia alienos fuiſſe, paucis enim ante diebus a Ludovico XIV. nuncius appulerat, qui affuturorum propediem

[redacted]

pediem auxiliorum ſpe Rákotzianos ad proſequendum bellum paulo acrius accenderat.

Quis bello ſucceſſus?

XXIX. Itaque poſtulatis, quæ recenſuimus, rejectis, induciæ deſierunt, bellumque magnis utrinque animis recruduit. Illud Cæſar Heiſtero, & Joanni Pálfio Illyrici Bano adminiſtrandum dedit: hic Hungaricis Illyricisque copiis; ille Germanicis ſumma cum poteſtate præerant. His Ducibus non una vice Rákotziani profligati ſunt: omnium autem maxima fuit clades, quam ad Tyrnaviam ſub exitum An. M. DCCIV. die XXVI. Decembris accepere, debellari tamen a paucis multitudo illa non potuit, novis in dies creſcens acceſſionibus, diviſisque agminibus univerſas pene partes Regni percurſans, non ſine crudeliſſimis populationibus & incendiis. Miſerrima ſane erat cum & Nobſlium, & Colonorum conditio: eodem enim die non raro geminos experiri cogebantur Dominos, quodque prior ex præda reliquerat, alter diripiebat. Ceterum præcipua Rákotzia-

LEOPOLDUS M.

kotzianorum cura eo tendebat, ut Tranſilvaniam ad ſuas partes attraherent: nec deerant, qui illic Rákotzio favebant, Appaffiumque Juniorem, quod Leopoldi arbitrio principatum reliquerat, peſſime oderant. Verum conatus omnes inutiles reddidit Rabutini Ducis, qui Cæſaris in Tranſilvania copiis præerat inſignis fortitudo & prudentia. Is non modo conjuratorum agmina ſæpius feliciter profligavit; verum etiam nihil curæ & ſollicitudinis omiſit; ut nutantes in fide provinciales confirmaret. Cavebat imprimis, ne ullam juſtam offenſionis cauſam cuiquam præberet: quia autem longo uſu compertum habebat, non ſecus Tranſilvanos, ac Hungaros olim a Cæſare alienatos fuiſſe ob intolerandam militis rapiendi ſæviendique licentiam; quo huic occaſionem tolleret, ſtipendia militaria ſtatis temporibus accurate, & perquam liberaliter diſtribuit, cumque æs omne ad extremum defeciſſet, quidquid auri argentique ſuum habebat, conflari, pecuniamque inde confieri curavit. Qua Ducis providentia factum, ut miles ab invadendis

inco-

[redacted]

incolarum facultatibus abſtineret: id quod non leve attulit momentum ad continendos in fide Cæſaris Transſilvanorum animos.

LEOPOLDUS M.

XXX. Hæc igitur Hungariæ facies erat, cum Leopoldus lethali hydrope laborans ad extrema deductus fuit. Ad difficilis morbi moleſtias accedebat acerbiſſimus ille dolor, quod utrumque filium Joſephum & Carolum in medio bellorum turbine relinquebat, de exitu omnino incertus, ob conjurata in Auguſtæ domus perniciem plurium Regum & Principum Europæ ſtudia. Timores illius non leviter aucti ſunt ex interceptis quibusdam litteris, quas Galliæ fœderati communi nomine ad Rákotzianos dederant, hortantes; ne, quæ ceperant, arma unquam deponerent; neque ſe qualiumcunque Cæſaris promiſſorum ſpe ad concordiam adduci paterentur; fore enim; ut brevi victricia ipſi arma Hungaris in Auſtria conjungerent. His hoſtium ſuorum conſiliis cognitis, Leopoldus jam moriturus Joſepho filio majorem in modum

Quo tempore vitam clauſit Leopoldus?

auctor

[illegible]

[illegible]

XXI. [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible], & [illegible] [illegible]

[illegible]

a) Adi si placet Historiam Leopoldi Magni, ubi res ejus geſtæ copioſiſſime ſunt enarratæ. Item Fragmenta Hiſtoriæ Hungaricæ, & paſſim alios.

LEOPOLDUS M.

celſum interius animum, dignamque ſummo in terris Monarcha virtutem & Majeſtatem indicabat. Illius vitæ probitas, incenſum ſinceræ Religionis ſtudium, juſtitiæ rigor, temperantia, & pudicitia notiora ſunt; quam ut a me pluribus deſcribantur. Animum Chriſtianis virtutibus egregie inſtructum ornavit divinarum æque ac humanarum ſcientiarum cognitio. Longiſſimi regiminis tempore nunquam fere pace frui potuit; nam & continuis per annos XXVIII. civilibus domi bellis æmulorum invidia ſuſcitatis jactatus fuit; & foris cum fœderatis Germaniæ Principibus, cum ſociis, Gallis, & Turcis difficillima geſſit bella. In his tamen ſingulari Dei providentia ita verſatus eſt, ut de ſingulis pene hoſtibus glorioſe triumpharet; niſi quod in vitæ exitu adeo res ubique turbatæ fuerint, ut deteriore loco eſſe non poſſent: id quod ad probandam glorioſiſſimi ante Cæſaris virtutem, augendamque in cœlis gloriam ab æquiſſimo Numine permiſſum fuit. Ceterum immortalem ſui memoriam reliquit Leopoldus, ob Turcas

LEOPOLDUS M.

poſt duorum prope ſeculorum dominatum ex Hungaria exturbatos, Budam Regni Metropolim & ceteras urbes omnes recuperatas; in quibus lege lata ſoli Religioni Catholicæ locum eſſe voluit. Quæ quidem urbes abſterſo ſervitutis diuturnæ ſquallore, & populi frequentia, & ædium magnificentia ad ſummum ſplendorem hodie aſcendunt, Leopoldumque liberatorem ſuum deprædicant. E triplici connubio paucas reliquit proles ſuperſtites A), parum felix maritus, felicior Pater, Avus autem futurus longe feliciſſimus.

TABULA IV.

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI III.

Leopoldus M. Rex Hung. Boh. Rom. Imp. ✠ 1705. 5. Maji.
Con. a Margaretha Thereſia Philippi IV. Hiſp. Reg. filia ✠ 1673.
b Claudia Felicitas Ferdin. Caroli Archid. Tyrolenſis filia ✠ 1676.
c Eleonora Magdalena Philippi Wilhelmi Neuburg. Palat. filia ✠ 1720. 19. Jan.

ex a Mari. Antonia ✠ 1692. Maximilianus Elector Bavar.	ex c Joſephus I. Rex H.B.R.Imp. ✠ 1711. 17. April. Con. Wilhelm. Amalia, Joa. Frider. Hanov. fil. ✠ 1742. 11. April.	Maria Eliſ. Gubern. Belgii ✠ 1741. 27. Aug.	Mar. Anna Joann. V. Rex Luſitaniæ.	Carolus III. Rex Hung. Boh. Rom. Imp. VI. ✠ 1740. 20. Octob. Con. Eliſabetha Chriſtina Ludov. Rudolphi Brunſv. Wolfenb. filia ✠ 1750.	Maria Magdalena Gubernat. Tyrolis

Maria Joſepha ✠ 175 . Frider. Aug. Sax. Rex Pol.	Leopoldus Joſephus ✠ 1701.	Maria Amalia Carolus Elect. Bav. R. Imp. VII.	Leopoldus Archid. nat. 13. Apr. ✠ 4. Nov. eod. an. 1716.	Maria Thereſia nat. 13. Maji 1717. R. Hung. B. ab an. 1740. Rom. Imp. ab an. 1745. nupta 12. Feb. an. 1736. Franciſco Stephano Loth. & Barri M. Duci Hetruriæ Rom. Imp.	Maria Anna nat. 24. Sep. 1718. ✠ 16. Dec. 1744. nupta 7. Jan. 1744. Seren. Carolo Lothar. Duci Gubern. Belgii.

Vide Tab. VI.

JOSEPHUS I.

REX HUNG. ROM. IMP.

A. C. MDCCV.

I.

[illegible] MDCLXXXVII [illegible] MDCCV [illegible]

quo novo subsidio perfacile erat novi mi-
litum scribere supplementa, neque bello
necef-

[redacted]

JOSEPH. I.

neceſſarias comparare. Itaque cum Joſephus regnum auſpicatus fuit, jam quinquaginta armatorum millia parebant Rákotzio. Multi aderant ſubmiſſi e Gallia rei militaris præſertim autem tormentariæ & tacticæ, periti Duces, qui non leve ad bellum rite gerendum adferre poterant momentum. Certe ſi Rákotziani viribus ſuis uti noviſſent, actum erat de Joſephi imperio, cujus miles omnis cum in campo; tum in præſidiis collocatus vix XX. millia adæquabat. Sed paucitatem copiarum ſupplevit Ducum præſtantia: quales erant Joannes Pálffi ab Erdőd Illyrici Banus & campi Mareſchallus, Hannibal Heiſterus, Stahrenbergius, Rabutinus, aliique, exigua cum manu inſignes victorias reportare ſoliti.

Quam inutiliter tentata pax?

II. Hoc rerum ſtatu Paulus Princeps Eſzterházi Regni Hungariæ Palatinus volente Rege ipſo Joſepho, litteras ad omnes provincias miſit, quibus confœderatos ad Comitia ſub novo Rege celebranda Poſonium evocabat, Regioque nomine certos red-

JOSEPH. I. reddebat, poſtulatis eorum quam cumula-
[illegible]ſime ſatisfactum iri. At cum Palatini
[illegible]dia in irritum abiiſſent; jubente Joſe-
[illegible]o rurſum Colocenſis Archiepiſcopus Pau-
[illegible]s Széchényius cum Rákotzio de induciis,
be[illegible]e conventu egit men-
[illegible]DCCV. Impetratum
ni[illegible]equente, ut utrinque
ab a[illegible] ac interea utriusque
par[illegible]aviæ convenirent, de
pacis [illegible]undæ [illegible]ne deliberaturi. Poſt-
quam & arbitri & utriusque partis legati venerant A), ſpes non vana pacis affulgebat; quod Rákotzius propenſiſſimo jam eſſet ad quietem animo: præterea Anglus, & Hollandus Oratores nulli induſtriæ, nulli labori

A) Aderat Anglus Orator Stepneyus; Hollandi: Comes a Rechteren, & Hamel-Bruynuex; Joſephi autem Cæſaris nomine venerant: Carolus Lotharingiæ & Barry Dux, Epiſcopus Osnabrugenſis & Olomucenſis. Comes Joannes Wenceslaus a Wratislaw. Paulus Széchényi Archiepiſcopus Colocenſis, Nicolaus Comes Illesházi Comit. Trenchin: & Liptov: Perpet. ſupr. Comes. Franciſcus Sigismundus Comes a Lamberg.

[redacted]

labori parcerent, quo diſſidia penitus evellerentur. Verum in ipſo congreſſus principio pene ſpes omnis præciſa fuit, quod Cæſar cum fœderatis velut cum refractariis ſuis ſubditis ageret, ejusque Oratores idgenus nominibus illos compellare vellent. Poſt plurimas ſuperatas lites de titulis Rákotzio, & Conſœderationi A) tribuendis, ad rem ipſam demum acceſſum eſt: confœderati ſua juſſi poſtulata proponere, prolixum ſane ſcriptum XXIII. capitibus comprehenſum obtulere: ex his præcipua juvat huc adducere. Succeſſio hæreditaria in Hungaria tolleretur, Bulla aurea Andreæ II. quoad omnes partes obſervaretur una cum articulo XXXI. Transſilvania a Regis Hungariæ poteſtate ſubtracta, proprios haberet Principes ſolo clientelæ nomine Regibus Hungariæ obnoxios. Cum alia negotia ad Hungariam ſpectantia; tum vero pacem cum Turcis nefas eſſet componere

 citra

A) Conceſſus ad extremum Rákotzio Principis titulus; ei autem adhærentes *Confœderati Status & Ordines Hungariæ* appellati ſunt.

JOSEPH. I.

citra Palatini, & Senatus Regii conſenſum. Exterus miles omnis ſine mora e regno educeretur. Nobilitas Hungarica vetera jura omnia recuperet: Proteſtantes exercitium Religioni[illegible]; Rákotzio ob toleratos eo [illegible] præmia decernerentur; [illegible] ipſe nobilitatem aut opes [illegible] libere ii fruerentur: univ[illegible]nnibus non modo id fraudi ne ſit, [illegible]rma in Regem corripuerint; verum etiam recte eos ad jura legesque tuendas egiſſe pronuncietur. Cetera longum foret hic recenſere ac ſupervacaneum, eadem enim ſunt cum iis, quæ alias civilium motuum aut Comitiorum temporibus poſtulata ſparſim meminimus. Hæc ubi a Joſepho lecta examinataque fuiſſent, facile animadvertit ſagaciſſimus Princeps, confœderatos minime ſincero ad pacem eſſe animo, ac non niſi temporis compendia quærere; quo clam bellum appararent; ut tamen ipſe palam faceret, nil in ſe voluntatis defuiſſe; quo minus tranquillitas rediret Patriæ, ſcripto ad ſingula capita reſpondit: ex poſtulatis alia probavit;

rele-

[redacted]

JOSEPH. I.

relegavit alia ad futura Comitia; cetera denique ſalva Regis & Regni ſalute nulla ratione concedi poſſe demonſtravit, ac una paterne confœderatos hortatus eſt, ut metu & ſuſpicione omni abjecta ad obſequium redirent, experturi in ſe benevolum, gentisque Hungaricæ & commodorum, & honoris Regem ſtudioſiſſimum. Hæc Cæſar per Legatos ſuos reſpondit, neque de pace adhuc deſperavit.

Quid actum in conventu Onodienſi?

III. Verum inania fuere Joſephi & Mediatorum vota. Ubi primum, quæ retulimus, reſponſa Regia die XII. Julii Anno MDCCVI. confœderatis ſunt tradita, poſtulatis ſuis omnibus minime ſubſcriptum eſſe, ægre ferentes, VI. poſt die miſſo ad deputatos Mediatores ſcripto, invidiam pacis impeditæ ab ſe amoliri conati ſunt, ac una declararunt, ſe omiſſa omni deinceps conſultatione, ad arma redituros. Diſcedentibus itaque Rákotzianis, Cæſarei quoque Commiſſarii, & Mediatores re infecta abiere. Ex eo tempore bellum recruduit, rurſumque direptionibus & incendiis afflicta

JOSEPH. I. paruit Hungaria; quin tamen alterutra ex parte memorabile aliquid actum fuerit. Interea Rákotzius multorum privatorum ex Hungaris, & vel maxime Angli & Hollandi Oratorum litteris interpellatus, rurſum pacis deſiderio flagrare cepit: at quoniam ſuo nomine nil aggredi poterat, Onodinum ad Calendas Julii A. MDCCVII. ſibi adhærentium comitia coegit a). Propoſitum hic fuit in pleno ſenatu: viderent, an non ſatius foret, deſerta Gallorum, a quibus parum ad eum diem adjuti eſſent, ſocietate, ad oblatam toties tamque ſincera voluntate Joſephi clementiam redire: an non univerſo Regno utilius eſſet, ſucceſſionem hæreditariam iis, quibus gentis immunitati cavebatur, conditionibus admittere: multi erant, quos & belli inordinate ad eum diem geſti tædium; & ſincera in Patriam caritas ad id conſilii inclinabat; præſertim poſtquam intellexerant, Joſephum

a) Onodienſis Conventus Decreta Num. XXIV. concluſa & ſignata ſunt An. MDCCVII. die XVI. Junii.

phum ea eſſe benignitate, ut quocunque tempore vellent, omnes & ſingulos in gratiam ſit recepturus. Verum obſtabat acriter pars altera, ſinceramque Cæſaris voluntatem parum humaniter in dubium revocabat; quin & negabat promiſſa, quæ liberaliter nunc ſibi fierent, aliquando impletum iri. Sic contra Cæſarem aliis; aliis pro Cæſare ſtantibus, magna animorum contentione exorta diſputatio in jurgia & cædes deſiit. Prævalente demum oppoſita factione perlatum fuit: Poſonienſia Anno MDCLXXXVII. comitia pro abolitis haberi oportere; ſolium Hungariæ vacare; nil in illud cuiquam juris eſſe: Hungariam, Batavorum, & Helvetiorum imitatione, carituram deinceps Rege, ac ad liberæ Reipublicæ formam redigendam eſſe: inſtituendum Senatum ex Proceribus, & Comitatuum Legatis: Religiones ſingulas æquali jure fruituras. Quoniam autem potiorem Magnatum partem Regi ſuo Joſepho fidelem novæ huic Reipublicæ inſtitutioni adverſaturam non inanis metus erat, Paulo S. R. I. Principi Eſzterházi Reg. Hung. Pala-

JOSEPH. I.

JOSEPH. I. Palatino, Joanni Pálfio Illyrici Bano, ceteriſque Regi addictis æternum exilium dictatum A). Hæc & alia his conſimilia decreta ubi recitata ſunt, Melchior Rákovſzkius, & Chriſtophorus Okolitsányius ſuo, & Thurotzienſis Comitatus nomine ſcripto interceſſerunt, multisque rationibus in medium prolatis, ceſſandum a bello civili, redeundumque ad obſequium contendere; quæ res adeo nonnullos in rabiem vertit, ut Rákotzio primoribusque necquidquam prohibere conantibus, utrumque e comitiorum loco ejecerint, multisque conciderint vulneribus: ac ille quidem continuo animam egit; hic autem, etſi lethaliter ſaucius, haud diu victurus videbatur, triduo poſt propalam carnificis manu obtruncatus fuit. Mox Thurocienſis Comitatus rebellis declaratus, vexilloque una, & ſigillo eſt privatus B). Denique ceteri optimi

A) Vide Vit. Joſephi Cæſaris & paſſim alios.

B) Hæc ſi tamen nota dicenda eſt, ſublata fuit Comit. Poſon. An. MDCCXV. Artic. XLVI. quem inſpice.

[redacted]

JOSEPH. I.

mi ſane conſilii auctores, aut conſcii in teterrimos carceres conjecti, reliquis, ad audendum aliquid pro communi ſalute, animos ademere. Eodem Anno MDCCVII. Rákotzius per Váſárhelyienſem regionem in Transſilvaniam abiit, quo a quibusdam factioſis invitatus & Princeps electus fuerat. Solennem is eapropter Albæ Juliæ, ſive Carolinæ ingreſſum habuit, verum vix Regni adierat poſſeſſionem; cum a Cæſaris milite alteraque Transſilvanorum Cæſari faventium parte profligatus eſt.

Quid contra tentatum a Joſepho?

IV. Hæc inter Joſephus de Onodienſis conventus decretis edoctus, datis ad omnes Regni Provincias litteris, acta illic omnia proſcripſit, luculentiſſimaque ſua in Hungariam jura demonſtravit. Inſequente autem anno MDCCVIII. confœderatos omnes ad Generalia Regni Comitia Poſonii habenda invitavit, pollicitus fide Regia, ſe diſſidiorum, & motuum fontes ſinceriſſime obſtructurum. Aderant ibi ad præſtitutum diem Paulus Princeps Eſzterházius Palatinus, Antiſtites, & Magnatum, nobiliumque

JOSEPH. I.

tione Confœderatos præſertim vero in dignitatibus Eccleſiaſticis conſtitutos ad legitimi Regis ſui Joſephi obſequium revocare ſatageret, ac una pœnas Eccleſiaſticas in eos decerneret, qui a Confœderatorum ſocietate dicedere detrectarent. Quæ Pontificis Joſepho Cæſari totique Auſtriacæ Domui faventiſſimi juſſa cum Cardinalis Strigonienſis diligenter executus fuiſſet, multis Religio injecta fuit: adeo ut præcipui quique belli & inutilis & patriæ exitioſi tædio affecti, atque ipſe etiam Rakotzius ad concordiam honeſtis conditionibus cum Cæſare ineundam, quietemque poſtliminio domum revocandam aſpiraret, multisque utrius-

Cardinalem & Hungariæ Primatem, Romæ die XVII. Auguſti An. MDCCIX. dederat, hoc exordium habet: *Neminem eſſe arbitramur, qui Chriſtianæ pietatis oculis ſpectet incendia feralis illius belli, quo florentiſſimum quondam Hungariæ Regnum tot jam annos flagrat, & non intime commoveatur ac doleat . . .*; Breve hoc adjecta ſevera admonitione paterna, Poſonii III. Octobris eodem anno ſignatum, per univerſum Regnum promulgari procuravit Sereniſſimus ac Eminentiſſimus Cardinalis Primas.

[redacted]

utriusque ordinis viri deſertis Confœderatorum partibus ad Cæſarem ultro redirent. Sic præparatis Confœderatorum animis, Jóſéphus tempore utendum ratus An. M. DCCX. promiſſa omnibus redire volentibus gratia ſupremum Rákotzio obtulit pacis tractationem. Itaque ut Hungaris facto ipſo declararet, quam ſincero ferretur ad iis favendum ſtudio, ad ſe accerſito C. Joanni Pálffi Illyrici Bano plenam ineundæ concordiæ tradidit poteſtatem, ea tamen lege; ut. ſucceſſio hæreditaria, & Articuli XXXI. Bullæ aureæ abolitio ſalva manerent, cetera autem arbitrio ſuo definiret, gentisque univerſæ votis, quam liberaliſſime ſubſcriberet.

Qui Joannis Pálffii ad eadem conatus?

VI. His inſtructus mandatis Pálfius ſub exitum An. MDCCX. aliquot menſium inducias a Confœderatis impetravit. Tum vero data & accepta ſecuritatis fide, ſeorſim primum Rákotzium in vico Vaja convenit. Poſt mutua ſalutationum officia, noctem integram colloquendo transegere: Hic Pálfius multis explicuit, ſummam in-

JOSEPH. I. eundæ concordiæ & neceſſitatem, & opportunitatem; quod Joſephus Cæſar incredibili quietis deſiderio flagraret, tamque ſincera eſſet in gentem Hungaram propenſione, ut quidquid præſtari poſſet ſalva ſua dignitate liberaliſſime ſit conceſſurus, & ſublaturus cauſas omnes præteritarum offenſionum. Affirmavit præterea Rákotzio, Joſephum optima in eum ferri voluntate; dempto Transſilvaniæ principatu, nihil honoris, aut dignitatis negaturum, ac inſuper avita ſtirpis bona omnia integra fide reſtituturum: id unum ageret, plenis ſubmiſſionis & fiduciæ litteris veniam ab optimo Cæſare deprecaretur, quod ille etiam poſtea præſtitit. His Pálffii ſermonibus non mediocriter exhilaratus Rákotzius, aperte confeſſus fuit, dudum ſe jam confœderatam illam Rempublicam, in qua quivis imperare; nemo ſibi obedire vellet faſtidiviſſe; non fuiſſe tamen ſuæ poteſtatis quidquam cum Cæſare tranſigere; quod ſenatui ſuo jurejurando obſtrictus eſſet: acturum ſe tamen apud eos, ne inſignem hanc Cæſaris clementiam reſpuerent, easque pa-

cis

cis conditiones proponerent, queis Joſephus citra incommodum poſſit ſubſcribere.

Quæ illi objectæ difficultates?

VII. Dimiſſo colloquio, Rákotzius ad confœderatos reverſus, eorum, quæ cum Pálffio egerat, rationem reddidit, appoſitaque oratione omnes ad concordiam animavit, ac ut ipſe ceteris exemplo præiret, coram Transſilvanorum Legatis omni illi in Provinciam juri, quod ex quorundam ſuffragiis ſibi habere videbatur, propalam renunciavit. Verum Senatoribus non eadem omnibus, quæ Duci mens fuit: variabant ita ſententiæ, ut ad extremum nihil conſtitueretur: multi amplectendam eſſe pacem civilique ſanguini parcendum ſuadebant; alii optimæ Joſephi voluntati per Pálffium ſibi declaratæ adhuc diffidentes, exterorum Principum vadimonium expetendum contendebant; non pauci denique, qui confecta pace, nil ſibi opum ac fortunarum obventurum videbant, privata ſua commoda Reipublicæ ſaluti præhabentes, ferociter obſiſtebant; ac ut cupiditatibus ſuis ſpecioſum virtutis velum obtenderent,

 turpe

JOSEPH. I.

turpe ajebant eſſe, re, quam ſibi præfixerant, non impetrata, ab armis diſcedere: expectanda eſſe Ruſſorum auxilia, quæ propediem affutura nunciabantur; quæ ſi etiam ſubtraherentur; glorioſius multo fore pro libertate vitam ponere; quam ſeſe Cæſaris obſequio ſubmittere. Sic diſtractis confœderatorum Ordinum voluntatibus, cum nulla concordiæ ſpes appareret, Rákotzius quoniam induciæ erant, ſingulos ad hiberna abire juſſit, ineunte vere anni inſequentis MDCCXI. Huſztum ad comitia rédituros. Ipſe autem cum Bertsényio pluribusque aliis, qui eum a fiducia in Cæſarem avertere nitebantur, Scolam Poloniæ oppidum ſe recepit.

Qua demum via concordiæ inita?

VII. Nihil Pálffio acerbius eſſe poterat ea dilatione, quod creberrimis a Joſepho mandatis urgeretur, ad finem fatali bello quantocyus imponendum. Igitur abſente Rákotzio, cum Alexandro Karoli aliisque Senatus confœderati primoribus ſedulo egit, ut negotium accelerarent; ne longiore mora benigniſſimus ad eum diem Cæſar irritaretur,

retur, durioribusque poſtea conditionibus gratiam ſuam impertiretur. Qui cum Pálffii adhortationibus proniores aures præbuiſſent, mutuis conſultationibus concordiæ demum ratio in certa capita deſcripta fuit: eam Pálffii rogatu Karolius ipſe non ſine capitis diſcrimine in Poloniam ad Rákotzium detulit, majorem in modum orans; ut quoniam ei ipſi utilis & honeſta erat, ſuomet illam calculo probaret, fore enim; ut quotquot in Hungaria reſtiterant Senatores, ejus exemplum ſine mora ſequerentur. Rákotzius etſi nihil, quod prudenter opponeret, inveniebat; ſpem tamen inter ac metum diu anceps hæſit: quod Bertsényius, aliique ſocii ſuſpectam illi reddere Cæſaris fidem conarentur, certumque; ſi ad obſequium rediret, vaticinarentur interitum. Itaque poſt inutiles dierum aliquot deliberationes Pálffio renunciari juſſit; expectaret dum confœderati, quemadmodum ſtatuerat, Huſztum primo vere convenirent: adfuturum ſe illic cum ſociis, & reſponſa daturum. Nova rurſum injecta mora vehementer diſplicuit Pálffio, ut

JOSEPH. I. qui de felici negotii exitu exiguam ſpem haberet, ſi res comitiorum fluctibus agitanda proponeretur. His curis anxio nova ab Eleonora Auguſtà Imperatrice adſunt mandata, quibus una nunciabatur, Joſephum Cæſarem fatali morbo correptum decumbere. Pálffius eo nuncio ad rem maturandam accenſus, Alexandro Karoli majorem in modum auctor eſt, ut quoniam ceteris in Polonia abſentibus, ſumma apud confœderatos pollebat auctoritate, ſuos nulla interpoſita mora convocaret, magnam ea diligentia apud Cæſarem initurus gratiam. Paruit Károlius, ac non expectato Huſtenſis Conventus termino, confœderatos Nagy-Károlinum convenire juſſit: feruntur prope L. millia hominum eo confluxiſſe. Ex hoc numero ſapiente ſane conſilio delecti ſunt Senatores, qui cum Pálffio Szathmarini commorante habitis aliquot conſultationibus, pacis conditiones Cæſaris nomine ſibi die XXIX. Aprilis An. MDCCXI. propoſitas unanimi conſenſione ſunt amplexi.

VIII.

[redacted]

JOSEPH. I.

Quibus legibus oblata Rákotzio gratia?

VIII. Ut autem Joſephi Cæſaris æquitatis & clementiæ magnitudo eluceſcat, juvat huc ſumma concordiæ capita adſcribere: de Rákotzio ita conſtitutum, ut intra dies XV. vel per ſe, vel per legatum; aut ſi juſtis ex cauſis non prohiberetur, ſerius etiam paci ſubſcriberet, fideique Sacramentum Regi ſuo nuncuparet; quod ſi præſtitiſſet, Cæſar non vitæ modo gratiam; verum etiam priſtinas opes & honores omnes pollicebatur, ea ſolum adjecta lege; ut in munitas ditionum ſuarum arces cæſareum acciperet militem, e publico Regni ærario alendum: quod ſi autem vel metu quodam, vel pudore ductus in Hungaria degere vereretur, liberum illi eſſet in Polonia; aut alibi vivere, bonorumque ſuorum redditibus uti, modo nequid unquam in Regem, & Patriam moliretur. Ad gratiæ cumulum obtulit Cæſar utrumque filium Franciſcum, & Georgium, qui aliquot ab hinc annis in illius venerant poteſtatem. Atque iſtud ad Rákotzium pertinuit; quo haud ſcio an benignius aliquid cogitari potuerit.

JOSEPH. I.

Quibus item cæteris confœderatis?

IX. Quod ad ceteros Magnates, Nobiles, aliosque civili eo bello implicitos attinet; iis pariter præſtito prius fidelitatis ſacramento, oblata vitæ gratia, & bonorum omni[illegible]a jam alienis in manibus [illegible]mentia, hæc etiam ad c[illegible]defunctorum confœderatoru[illegible]a fuit. Militibus ſing[illegible] domum redeundi. Ita autem clemen[illegible]ius Cæſar inteſtini hujus motus memoriam aboleri voluit, ut ſevere ſanxerit; ne quis civilium magiſtratuum, aut militarium præfectorum bellum hoc Hungaris per contumeliam objicere auſit; ſecus gravi pœna & infamia mulctandus. Securos autem omnes & ſingulos eſſe voluit, nemini id fraudi, damnove fore, neque ullum ea propter in jus vocandum; cavit denique Cæſar, ſe Hungarorum æque, ac Transſilvanorum immunitates legibus firmatas ſancte ſervaturum, civiles æque ac militares in Regno dignitates Hungaris collaturum, liberum Proteſtantibus permiſſurum Religionis exercitium. Si quæ autem ſeu communia gentis totius,

ſive

[redacted]

[redacted] JOSEPH. I.

ſive privata ſingulorum ſupereſſent incommoda, ea ad futura concilia rejicerentur; univerſi denique confœderati optima ſpe eſſent, fore, ut Joſephus quidquid, pro utilitate, honore, & ſolatio gentis Hungaricæ videretur, quam cumulatiſſime ſit præſtaturus. Eam Cæſaris clementiam admirati confœderati ordines Hungari æque, ac Transſilvani, & ſuo & communi nomine juxta præſcriptam ſibi formulam fidem ſuam Joſepho Cæſari ejusdemque legitimo in Regno ſucceſſori obligarunt Szathmarini Calendis Maji ejusdem Anni MDCCXI. Nec mora ingens lætitia plauſusque exorti; ſinguli elementiſſimo Principi ſuo Joſepho vitam felicitatemque precabantur; at ſero nimis; quod is duodecim ante diebus obierat, ſed mors illius celata fuit; dum de ea Carolus frater in Hiſpania abſens edoceretur. Ceterum Tabulæ concordiæ Comitis Joannis Pálffi ab Erdœd Illyrici Bani Generalis campi Mareſchalli & Cæſaris Plenipotentiarii, nec non Confœderatorum Senatorum ſigillis & ſubſcriptionibus munitæ ſine mora ad Rákotzium in Poloniam ſunt

JOSEPH. I. transmiſſæ. His adjunctæ erant amicorum litteræ, quibus eum orabant, ut pulcherrima hac cum Cæſare in gratiam redeundi, resque ſuas recuperandi occaſione uteretur. Verum ille peſſimis uſus Conſultoribus, inanes de Joſephi animo ſuſpiciones ponere non potuit, maximorumque ſtipendiorum a Ludovico XIV. ſibi olim promiſſorum ſpe lactatus, ſpontaneum cum ſociis apud Turcas elegit exilium A). Quapropter ille, & ceteri quoniam, ut præſcriptum erat, ad præſtitutos dies fidei ſacramentum nuncupare neglexerant, bonorum publicatione, poſtea, & infamia ſunt notati B).

X.

A) Franciſcus Rákótzius Conſtantinopoli tranquillam deinceps duxit vitam usque ad diem VIII. Aprilis Anno MDCCXXXV. quo Chriſtiane obiit.

B) Filios Rákotzii Franciſcum, & Georgium commutato nomine in gratiam recepit Carolus Cæſar: Ille S. Caroli; hic S. Eliſabethæ Marchiones appellati ſunt, uterque citra ſobolem exſtincti.

[redacted]

JOSEPH. I.

Qua tempeſtate obiit Joſephus?

X. Itaque Joannis Pálffi opera bello Rákotziano a), atque una omnibus, quæ toties Patriam hoſte ipſo atrocius divexarunt, finis fuit impoſitus: ex eo tempore motus inteſtini apud nos ignorati ſunt. Laudem reſtitutæ tranquillitatis tametſi jure ſibi vendicet Joſephus Imperator; is enim ad eam procurandam mandata dederat; fructibus tamen illius frui non potuit, prætmatura ſane morte in ipſo ætatis flore ex variolis exſtinctus die XVII. Aprilis Ann. MDCCXI. Cum certam ſibi inſtare mortem ſenſiſſet, Mariam Eleonoram Auguſtam Matrem ſuam, prudentia & vitæ ſanctimonia ſpectatiſſimam Hæreditariarum Provinciarum Gubernatricem inſtituit, quam poteſtatem cum ei Carolus filius pariter confirmaſſet, pacem Pálffio arbitro cum confœderatis initam, ſolennibus litteris ratam habuit, Regnumque Hungariæ tranquillum ad filii usque adventum conſervavit, optime ſane de gente Hungarica promerita mulier:

a) Bellum hoc a nobis paucis expoſitum lege in vita Joſephi I. Cæſaris, & paſſim alibi.

JOSEPH. I. mulier: cuncta autem quæ illa ſanxerat a Carolo reduce ſolenni ritu confirmata ſunt.

Quæ illius dotes?

XI. Joſephi porro mors eo acerbior fuit, quo breviore tempore optimo Principe frui licuit; ut oſtenſus potius terris, quam conceſſus videretur. Fuit is ſtatura mediocri, vultu autem & totius corporis conformatione adeo elegante, ut omnes ante ſe Principes Auſtriacos formæ venuſtate ſuperaſſe diceretur. Majeſtatem rara comitate, ac in omne hominum genus facilitate temperabat., ut timeretur; magis tamen amaretur a ſuis. Ingenii judiciique vi tanta pollebat, ut graviſſima & maxime involuta negotia, quam facillime ad fundum usque penetraret, aptaque locis & temporibus in promptu reſponſa daret. Huc faciebat digna ſane Principe ſingula cognoſcendi, veritatemque per ſeſe ediſcendi cupiditas. Aliena conſilia audiebat perlibenter; regere tamen malebat; quam regi. In omni gubernandi ratione juſtitiam benignitate leniebat, graviſſime etiam offenſus, nunquam implacabiles concepit iras; doli

omnis

omnis expers, candido apertoque in commune bonum ſtudio ferebatur. Equidem Scriptores omnes conſentiunt, Joſepho regendi artes egregie fuiſſe perſpectas, ad quas codiſcendas plurimum illi profuit diuturnum Patris Leopoldi regimen: quo tempore Reipublicæ negotia, & conſiliorum diverſos exitus, quaſi per otium ſpectabat; ac ſi quid ſecus eveniſſe vidit; apud ſe connotabat: regendi enim ars fere exemplis potius; quam præceptis ediſcitur. Ad ſcientiarum, quæ principi utiles ſunt, cognitionem adjecit plurium linguarum notitiam, ut cum ſingulis ſubditis populis proprio loqui noſſet idiomate: decimo octavo ætatis anno Latine, Germanice, Hungarice, Bohemice, Italice, Hiſpanice, Gallice, eleganter & ſcribebat, & loquebatur. Tantus igitur cum eſſet Joſephus, merito a ſubditis deploratus fuit; præcipue ab Hungaris, qui toto regiminis tempore civili bello impliciti, nonniſi a morte illius, quantum theſaurum amiſiſſent, ſentire ceperunt. Sed luctum abſterſit Carolus, qui fratri ci- JOSEPH. I.

tra

JOSEPH. I. tra maſculam ſobolem exſtincto A) in ampliſſima hæreditate ſucceſſit, partaque illius curis tranquillitate, ad communem utilitatem promovendam immortali cum laude uſus fuit.

CAROLUS III.

REX XLVIII. ROM. IMP. VI.

A. C. MDCCXII.

CAROLUS

Quando Regni poſſeſſionem adiit?

I.

STabilita jam apud Hungaros Auguſtæ Matris Eleonoræ opera pace, Carolus hujus nominis III. Hungariæ Rex, Joſephi

A) Ex Wilkelmina Amalia Joannis Friderici Hannov. filia duas reliquit JOSEPHUS filias: Joſepham Friderico Auguſto Saxoniæ Electori & Regi Poloniæ nuptui traditam, numeroſæ præclariſſimæque ſobolis Matrem: alteram Mariam Amaliam Caroli Bavariæ Electoris, & hujus nominis VII. Imperatoris Conjugem. Vide Genealog. Reg. Hung. Periodi III. Tab. IV.

CAROLUS

ſephi Cæſaris Germanus, conſcenſa Barcinone die XVI. Septembris An. MDCCXI. navi Anglica, Hiſpaniam, cujus hæreditarium jus undecim ipſos annos contra Philippum Andegavenſem Ludovici XIV. Galliæ Regis nepotem minus proſpero ſucceſſu perſecutus fuerat; æternum deſeruit. Facto per Genuam, Mediolanum, & Tyrolim itinere Francofurtum delatus, die XXIV. Decembris Romani Imperii coronam ſuſcepit. Inde Viennam anno inſequente VIII. Februarii reverſus, eo ſtatim principem curam vertit, ut fatigatæ ac ſuperioribus bellorum motibus quaſſatæ Hungariæ ſuam redderet felicitatem. Generalia igitur Comitia ad diem III. Aprilis, quæ in Dominicam in Albis inciderat, Poſonium convocari jubet, non inaugurationis ſolum; verum etiam, quemadmodum pace Szatmarinenſi cautum fuit, domeſticorum diſſidiorum per opportunas leges tollendorum cauſa. Priusquam coronatio perageretur, Ordines Regni Hungariæ capita V. hæreditario Regi ſuo porrexere, ad quæ ille obſervanda ſuam obſtringeret fidem. I. Ut

Ele-

CAROLUS Electionis jure, & Articulo XXXI. Bullæ aureæ ſublato, ceteræ gentis immunitates ſalvæ remanerent. II. Ut ſacroſanctum gentis Hungaricæ Diadema Coronæ Cuſtodum Magnatum fidei creditum in Hungaria aſſervaretur. III. Ut ditiones olim ad Hungariam ſpectantes, jamque feliciter recuperatæ; aut deinceps recuperandæ Regni jurisdictioni ſubjiciantur, ceteroque corpori, ceu membra, poſtliminio reſtituantur. IV. Ut ſi Carolum citra ſobolem maſculam decedere contingeret, liberum eſſet Hungaris, quem vellent, Regem eligere. V. Denique, ut hæreditarii Reges omnes in ipſo Regni aditu in generalibus Comitiis inaugurarentur, atque prius de horum V. capitum obſervatione, & ſolenni diplomate, & jurejurando Ordines Regni ſecuros redderent. De quibus omnibus poſtquam Carolus, ut peculiaribus literis die XXI. Maji An. MDCCXII. ſignatis ipſe teſtatur, caviſſet A), dato & accepto pro more fidei ſacra-

A) Vide Articulos I. II. III. Poſonienſium Comitiorum confirmatos An. MDCCXV. in Cod. Jur. Patrii.

[redacted]

CAROLUS

ſacramento, per Chriſtianum Auguſtum Saxoniæ Ducem, S. R. E. Cardinalem Strigonienſem Archiepiſcopum A) ſacro Regni Hungarici Diademate inſignitus fuit Poſonii die XII. Maji An. MDCCXII. Idem honos biennio poſt obtigit Auguſtæ illius Conjugi Eliſabethæ: quo tempore Carolus, ut Auguſti Saxonis Regni Primatis inſignia in Rempublicam merita remuneraretur, ſucceſſoribus Archiepiſcopis Strigonienſibus S. R. I. Principum titulos contulit B), vel potius veteres reſtituit; jam enim a Sigismundo Imperatore Strigonienſes Archiepiſcopi in numerum S. R. I. Principum relati fuere.

A) Eminentiſſimus hic Princeps jam An. M. DCCVII. Strigonienſem Eccleſiam a Joſepho I. Imp. ac Rege obtinuerat, bello tamen Civili prohibitus, nonniſi ſexennio poſt nempe An. MDCCXIII. Tyrnaviæ, ubi hodie adhuc Metropolitani Capituli Sedes, ingreſſum ſolennem habuit die VII. Novembris,

B) Diploma de hoc editum fuit IX. Decembris An. MDCCXIV. ob quod actæ ſunt ab Ordinibus gratiæ Carolo Cæſari. Artic. CXI. Ibidem.

CAROLUS

Quam provide inſtaurata reſpublica?

II. Cupierat Carolus mox a coronatione ſua, mala illa, quæ inteſtinorum motuum tempore in omnes adminiſtrationis partes irrepſerant, radicitus tollere, ſapientiſſimisque legibus Rempublicam inſtaurare; ſed lue peſtifera ſubito exorta, Ordines tum domum remiſſi ſunt. Biennio autem poſt ſive An. MDCCXIV. cum nullus contagionis jam metus eſſet, rurſum ad interrupta Comitia rediere, de communi ſalute in medium conſulturi. Aderat ſæpius Carolus ipſe, quoties per Imperii negotia licuit. E multis, quæ tum perlatæ ſunt, nonnullas adducere juvat leges, ut, quibus morbis laboratum fuerit, e remediis intelligeretur. Defuncto haud ita pridem Paulo S. R. I. Principe Eſzterházi A), C. Nicolaus Pálffi Palatinus electus fuit.

A) Obiit is die XXVI. Martii An. MDCCXII. Kisnartonii ſepultus. Vir ſummis ævo ſuo comparandus, ob eximiam in Deum Religionem; teneram pietatem in magnam Hungarorum Dominam, conſtantem in Reges ſuos fidem, & ſincerum erga Patriam ſtudium. Ejus pietatis & munificentiæ multa

hodie-

fuit. Actum deinde de Republica. Ante omnia ſevere impoſitum ſingulis, ut ſi quis perduellionem ab aliquo parari ſciret, ſive accuſationis, ſive denunciationis via reum ſuis locis detegeret; talis autem ad turbas omnes præcavendas nulla facta citatione prævia, comprehenderetur, vel per Regem ipſum, vel per Hungaros Judices ad id delectos in Regno judicandus. Inſtituta tribus locis: Poſonii, Caſſoviæ, & Zagrabiæ commiſſio, quam Neo-aquiſticam dixere: quæ poſſeſſionum jura examinaret; Turcis quippe in Hungaria dominantibus factum non raro, ut multi aliena bona privata occuparint auctoritate. Stabilita CAROLUS

hodiedum exſtant monumenta, quæ conditoris nomen immortalitati transſcribent. Elegante opuſculo Immaculatum Virginis Deiparæ conceptum propugnavit. Vulgavit Trophæum inclitæ Domus Eſzterházianæ avitorum heroum imaginibus illuſtre. Denique gratioſas D. Virginis per univerſum orbem Icones patrio idiomate deſcripſit. Ei Illuſtriſſima Eſzterháziorum proſapia S. R. I. Principum titulos debet, quos hæreditario jure ad poſteros una cum Religionis, & pietatis ſtudio transmiſit.

CAROLUS Cancellariæ jurisdictio ſoli Regi obnoxia. Poſonienſis Camera a Viennenſis poteſtate ſubtracta. Palatini officia bello & pace deſcripta. Conſtitutum, ut in negotiis ad Hungariam ſpectantibus, præſertim vero ineunda cum Turcis pace ad mentem Articuli IV. Comitiorum Anni MDCLXXXI. Hungari in conſilium vocarentur. Deliberatum poſtea de re militari innovanda: quoniam ſola inſurrectione haud ſatis Regno proviſum apparebat; Decretum, ut ſtabilis miles & exterus, & Hungarus aleretur, e Regni vectigalibus ſtipendia habiturus: ratio autem vectigalium ſemper in Comitiis deſcriberetur. Ne autem id, quod ad publicam ſalutem inſtitutum eſt, oneri cuiquam damnove ſit, ſeveris legibus compreſſa inveterata illa ſtatarii militis res incolarum diripiendi licentia: vetitum inſuper, ne eidem in montanis civitatibus, Nobilium arcibus, palatiis, curiis, in ſcholis, & ſacrorum virorum ædibus dempta neceſſitate extrema, hoſpitium aſſignetur. Conſtitutum, ut Jaziges & Cumani, poſtquam perſoluto pignoris pretio ab Ordinis

…ꝭ Teutonici, cui a Leopoldo Cæſare …m transſcripti fuerant, Dominio ſe exe… …ſſent, priſtina privilegia reciperent, Pala… …ique jurisdictioni veteri more ſubeſſent. …giis civitatibus: Budenſi, Peſtinenſi, …igonienſi, Szegedinenſi, Albenſi poſtli… …iii jura ſunt reſtituta. Actis pacis Szath… …inenſis roboratis, Rákotzius, Bertsé… …us, A) aliique, quod oblatam ſibi per Joannem Pálffi gratiam Regiam ad id …mporis acceptare neglexerant, hoſtes Rei… …ublicæ declarati ſunt, & bona eorum fiſco ad-

A) C. Nicolai Bertsényi filius Ladislaus Fran… …æ Mareſchallus fuis cum filiis ac poſteris, agente …udovico XV. Galliarum Rege, An. MDCCLXI. …ota omni abſoluti, atque in gratiam ab AUG. MARIA THERESIA ſunt recepti; verum citra jus, … bona ſtirpis ſuæ per notam olim amiſſa recu…di. Ob quod beneficium ſane quam eximium … Clementiſſimæ Principi præſens perſolvit La…s, tum cum nuptiarum Joſephi II. Cæſaris …adhuc Archiducis cum Iſabella Bourbonia ſo…lis Viennæ interfuit die IV. Octobris. Id… …gratitudinis officium An. MDCCLXXIII. præ…nicus Ladislai ſuperſtes filius Antonius Pari… …mam delatus.

addicta. Quo autem Regni adminiſtratio in meliorem formam redigeretur, nominati imprimis viri juris peritiſſimi, qui leges Patrias, quantum ad judicia acceleranda pertinent, corrigerent. Aliis autem doctrina, & virtute præſtantibus viris negotium datum, ut univerſale aliquod Regiminis ſiſtema elaborarent, accuratamque rationem invenirent, qua res Hungariæ politica, œconomica, & militaris ad meliorem ordinem revocari, ſtabilirique poſſit: motuum enim inteſtinorum tempore omnes gubernationis partes a recto tramite deflexerant. Denique præter alios, Euge nius Sabaudiæ Dux ob inſignia in Hunga riam merita inter Hungaros cooptatus fui a).

Quid in ſacra Reipublica ordinatum?

III. Illa ad profanam Rempublicam hæc ad ſacram pertinebant. Pientiſſimi Cæſar idemque Rex Carolus, ex men D. Stephani Primi Regis noſtri b) ſummu ſe

a) Comit. Decreti Articulo CXXX.

b) Decret. S. Stephani Lib. II. Cap. I.

[redacted]

CAROLUS

ſe Eccleſiarum Dei in Apoſtolico hoc Hungariæ Regno Patronum exiſtimans, ac una de Religionis Catholicæ incolumitate ac dignitate ſollicitus, fidem dedit, ſe deſolatas per turcicam ſervitutem Regni Eccleſias inſtauraturum, votumque; quo ad id ſe Leopoldus Cæſar ſolenniter olim An. M. DCXCIII. obſtrinxerat, impleturum. Recepit etiam ſe curaturum, ut bona Divino cultui dicata veteribus ſuis poſſeſſoribus, Eccleſiaſticis aut Religioſis primo quoque tempore reſtituerentur, ac media omnia Religionis avitæ reſtaurandæ ſubminiſtrentur; confidens una fore; ut Antiſtites e SS. Canonum, & legum patriarum A) præſcripto, ea, quæ muneris ſui ſunt, ſedulo exequantur. Multi Religioſi Ordines, ceu utiliſſima Eccleſiæ ſubſidia, in Hungaria tum civitate donati ſunt. Canonicorum Regularium Præmonſtratenſium ad D. Stephani Varadini Præpoſito, qui olim totius Ordinis per Hungariam Vicarii Ge-

 ne-

A) Decret. S. Ladislai Regis Lib. I. Cap. VIII. & anni MDL. Artic. XIII.

CAROLUS

neralis dignitate fungebatur, ſeſſio cum voto Prælatos inter, & Magnates conceſſa. Patribus Societatis Jeſu dudum jam *articulariter* receptis Abbatiarum, & Præpoſiturarum, quas Regum donatione poſſidebant, titulo pariter ſeſſio cum voto apud J. ſtatus regni attributa. Eodem tempore Ordo Camadulenſium SS. Trinitatis de Redempt. Captiv. Pauperum Matris Dei, Scholarum Piarum citra ſeſſionis & voti jus recepti ſunt, ea adjecta lege; ne bona fundationalia, niſi pure ſecularia, & pignoris duntaxat titulo poſſidere valeant. Decretum inſuper, ne quorumvis Religioſorum domicilia ſine Reipublicæ neceſſitate, & ſpeciali Regis voluntate augeantur. Præterea cum Religioſis bonorum capacibus pia Fundatorum voluntate de vivendi mediis proviſum ſit; cautum, ne id genus Ordinem ingreſſuri ſeu viri, ſeu fœminæ e bonis familiæ aviticis plus, quam decimam hæreditatis ſuæ, non tamen ultra quinquaginta florenorum millia aſſurrecturæ, partem, eamque in ære ſecum auſerre poſſint; de aquiſitis parentum arbitrio relictum.

De-

[redacted]

CAROLUS

Denique Seminariorum & Convictuum, tam pro Juniore Clero, quam ſeculari Juventute inſpectionem; & cum neceſſe videbitur, rationum: an fundatoris menti ſatisfiat, exactionem ſacra Majeſtas ſibi ſoli, pro Regis Apoſtolici munere vindicavit. Quod ad Proteſtantes attinet, ut communis tranquillitatis paulo prius reſtitutæ lætitia ad eos etiam pertineret, Comitiorum Anni MDCLXXXI. Art. XXV. & XXVI. item An. MDCLXXXVII. Artic. XXI. in eorum favorem confirmati ſunt, urgentibus potiſſimum Anglo, & Hollando Oratoribus. Quod ſi autem læſos ſe aliquando ſentirent Proteſtantes, diſerte vetitum fuit, ne cauſam communem facerent; ſed ſinguli ſeorſim querelas ſuas apud Commiſſarios eum in finem deputatos proponerent. Severe autem interdictum, ne conventus aut Synodos celebrarent: hinc etiam Roſembergenſis conciliabuli, in quo Eccleſiæ ſuæ Hierarchiam deſcripſerant, acta Comitiorum auctoritate ſunt proſcripta A).

A) Hæc totidem ferme verbis in Comitiorum A. MDCCXV. concluſorum Decreto lege.

CAROLUS

Quæ primi belli Turcici origo?

IV. Verum Carolus, etſi quam maxime cuperet, non poterat diu procurandis Reipublicæ commodis vacare. Sopitis enim Hiſpanicis diſſidiis, maximo contra Orientem bello involutus eſt. Ejus hæ fuere cauſæ: Veneti, quos pace Carlovicenſi An. MDCXCIX. ſub Leopoldo Cæſare comprehenſos meminimus, denunciata ſibi repente Bizantio belli tempeſtate vehementer perculſi, quod ſoli tantæ moli ſuſtinendæ non eſſent, præter ceteros Chriſtianos Principes in Carolo Cæſare Hungariæ Rege ſpes ſuas defixerant. Hujus itaque opem per Michaelem Moroſinum & Victorem Zaneum Oratores omni contentione implorant. Ipſe Clemens XI. Pontifex Romanus proſpiciens, quam grave toti orbi Chriſtiano diſcrimen immineret, ſi Turca fractis nobiliſſimæ Reipublicæ viribus in Adriatico ſuperior evaderet, ſuas adjunxit preces, Cæſaremque efficaciſſimis ſollicitabat litteris, ad ferendum Venetis auxilium, armaque in communem Chriſtiani nominis hoſtem conſocianda. Igitur Pontificis, & Venetorum precibus permotus Carolus,

Anſel-

[redacted]

Anſelmo Fleiſchmanno ſuo apud portam Ottomanicam oratori demandat; ut Achmetem Turcarum Imperatorem Carlovicenſis fœderis admoneret; ſi qua in re ille a Venetis læſus eſſet, Cæſarem pro jure & æquo arbitraturum ſponderet, ſecus fœderis cum Venetis initi ſocietatem armorum etiam communionem flagitare denunciaret. Audita Cæſaris voluntate, Vezirius probe gnarus, parum in Venetos profectum iri; ſi a Cæſare, qui recuperata nuperno bello Hungaria, multo potentiſſimus evaſerat, protegerentur, Ibrahimum Agam Viennam ad Eugenium ablegat, qui cauſas Veneti belli ederet, atque una firmam ſemper cum Cæſare pacem fore polliceretur. At Carolus fœderatis opitulari certus Ibrahimo edici jubet: ſe vadem ac ſponſorem cum Anglis, Hollandisque eſſe pacis Carlovicenſis, ſe proinde arbitro lites componerent, id niſi placeret, copias ſibi non defuturas, queis ſocios pro virili tueretur. Ibrahimus accepto eo reſponſo, negans ſibi litis cum Venetis componendæ poteſtatem datam; dum reditum procraſtinat,

CAROLUS

CAROLUS nat, ex interceptis litteris compertum eſt, eum explorandæ Hungariæ, Cæſareique in bellum apparatus inveſtigandi cauſa Viennam veniſſe, atque idcirco moras diutius nectere. Quamobrem cautius deinceps cuſtoditus, non multo poſt ad ſuos remiſſus fuit. Interea Turcæ ſive Cæſarem non ſerio de bello cogitare putarent, ſive viribus ſuis plus æquo confiderent, ſive denique fortunam ſuam in recuperanda Hungaria experiri vellent, ſpretis Cæſaris monitis, repentino belli impetu Peloponeſo, pluribusque aliis locis occupatis palam fecerunt, quanti fœderum ſanctitatem ducerent.

Quis in bellem apparatus?

V. Ea re commotus Carolus, atque una Eugenii Ducis auſpicatiſſimi hortatione inductus, die IX. Aprilis An. MDCCXVI. novum cum Venetis fœdus iniit, eodemque plane die XIII. Aprilis tabulas ſignavit, quo tot populorum votis, & precibus a Numine exoratum filium *Leopoldum* Eliſabetha Conjux enixa fuit; brevi cælo inſerendum. Fœdus hoc ubi Cæſaris Orator

[redacted]

tor Bizantii Ottomannis communicaſſet, pro gentis more in cuſtodiam datus eſt. Nec mora in limitibus mutuæ hoſtilitates exerceri ceptæ. Interea Cæſar, quidquid bello opportunum erat, ſtrenue apparabat: evocatis ex Anglia, & Hollandia Machinatoribus triremes curat. Annonæ promptuaria per Hungariam diſponit, Eſzekinum, Budam, Petrovaradinum novis operibus, & militum præſidiis firmat. De Transſilvania, quæ jam An. MDCXCI, A). Appaſſio Juniore conſentiente, ſeſe ultro ſubmiſerat, quam maxime ſollicitus Carolus, Albam Juliam biennii labore novis propugnaculis inſtructam, ad eam firmitatem, decoremque eduxit, ut ex merito a reſtauratore ſuo Albæ Carolinæ nomen acciperet. Maxima interim conſcripta in Hungaria, Bohemia, ceterisque Provinciis militum ſupplementa: copiæ omnes ex Italia, & Belgio in Hungariam contractæ; ut juſtus brevi ſurgeret exercitus, cui cer-

A) Bulla aurea Leopoldi M. ſignata fuit eodem anno die IV. Decembris.

CAROLUS certum quoddam victoriæ omen Eugenium præfecit; & locum caſtris ad Futak ignobile eatenus oppidum capere juſſit. Quo exeunte vere anni ejusdem delatus Eugenius tanta militum lætitia, atque fiducia acceptus eſt, tanquam ſi captivam ſecum illam campi Dominam fortunam ad caſtra deduceret.

Quomodo præluſum victoriis?

VI. Et patuit brevi, quam auſpicato ſummum belli imperium ei delatum, factique tanti apparatus fuerint. Copiarum enim reliquiis contrahendis adhuc intentus

[redacted]

CAROLUS

ſeſtam ſollicite perluſtrat, in XL. Turcarum millia improviſo ad Carloviczium incidit. Ab his momento circumfuſus, cum nullus, niſi per arma, evadendi locus ſuperaret, tametſi ab Eugenio ciere pugnam vetitus fuerit, extrema tamen neceſſitate adactus exiguum manipulum ſuum quadratam in aciem condenſat, mediosque inter ignes quatuor admodum horas furorem hoſtium acerrime undique urgentium non modo ſuſtinet, verum etiam amiſſis duobus equis in tertium feliciter eluctatus periculo ſemet evolvit, & ereptis V. ſignis glorioſus militares inter applauſus ad Eugenium revertitur. E Turcis M. occubuerunt. Noſtrorum jactura pro magnitudine periculi admodum exigua. Neque enim cæſorum una, ac ſauciorum numerus CCCC. exceſſit. Specimen hic ab hoſte capi poterat, quibus cum Ducibus, ac militibus ſibi res deinceps futura eſſet, omen a noſtris grandiorum victoriarum; quibus V. Auguſti campus primum apertus eſt ad Petrovaradinum.

VII.

CAROLUS

Quis ſucceſſus ad Petrovaradinum?

VII. Eugenius enim ut hoſti occurreret, ac una deſtinatæ ad ictum urbi ſuppetias laturus innoxie copias ſuas per tantum fluvium transponeret, quantus danubius eſt, ad ripam hujus ſecunda Augusti pervenerat. Verum pontes, quos noſtri danubio tres injecerant, duos jam a Turcis incendio corruptos reperit. Per eum itaque, qui Lôffelholzii virtute ſervatus fuit, copias traducere incipit, donec refectis duobus aliis exercitus omnis commode, ac feliciter tranſiret, ac III. Aug. valla ſuperiori bello ab Ænea Caprara urbi prætenſa univerſo cum exercitu ingreditur. Adfuit paulo poſt Vezirius quoque, & noctis beneficio proximos colles occupans caſtra noſtra, & urbem cingit, poſteroque die datis ad Gubernatorem urbis Lôffelholzium litteris deditionem imperat; & niſi ante faceret, quam bellica machina ſignum delendæ urbis daretur, internecinam cladem minatur. Contemptu a Lôffelholzio excepta ſuperba denunciatio, poſteaquam ad aures Eugenii pervenit, movit generoſum Ducis animum ad decernendum quantocyus

CAROLUS

tocyus prælio. Itaque reſponſum poſtri-die, quod Bizantii audiri poſſit, eum toto exercitu redditurum ſe renunciat. Intereà crebris tormentorum ictibus non ſine mutua ſtrage ſeſe adverſæ partes impetebant. Sub occaſum ergo ſolis pugnæ ordinem Eugenius deſcribit: Principem Virtembergicum cum VI. cohortibus extra valla collocat ad faciendum certaminis initium: dextrum cornu Maximiliano Stahrembergio, & Beverano Principi; Regalio, & Harrachio ſiniſtrum commendat: mediam aciem Lôtfelholzio tribuit: equitatui autem, in cujus virtute victoria ea die niteretur, Pálffium præficit. Huic Vezirius pugnæ copia lætus, militiæ pariter florem, equitum turmas plerasque objicit. Cætera in id potiſſimum intentus; ut loca ſuperiora Janicsaris, valles Arnautis inſiderentur, caſtra curribus quam optime communirentur. Dextræ noſtrorum alæ oppoſuit lectas; ac veteranas cohortes: reliquis mixtas tyronibus A). Nox incredibili pu-

A) Quantus reipſa exercitus utrinque fuerit, incer-

CAROLUS gnandi cupiditate flagranti militi pervigil tranſacta. Orto ſole nonis Auguſti a) Eugenius Deum, Deique Matrem ſupplex precatus, eisdem ſe ac militem pugnaturum ardentiſſime commendavit. Tum arma corripere, & ſignum cani jubet. Primus in hoſtem invectus Virtembergicus belli aleam adeo feliciter jecit; ut Janicsaros levi prælio victos, occupatis, converſisque X. tormentis multa ſtrage in fugam conjecerit. Graviori paulo certamine irruentem hoſtem Pálffius cædit, ac profligat. Debellatum in ſiniſtra ala fuerat ſine ulla pene jactura militis noſtri; at dextra acies in magno diſcrimine verſabatur, remque perdidit prope univerſam. In reliquum enim Janicsarorum agmen, qui fuſis a Virtem-

---

incertum. Nummi ad memoriam victoriæ hujus cuſi CCM. Turcarum adfuiſſe: exercitum noſtrum LXM. duntaxat conſtitiſſe plerique authores perhibent.

a) In hunc diem ſtudioſe prælium Eugenius contulerat, qui ſacer cœlorum Reginæ fuit; quod omen quoddam habuerit feliciſſimum iis diebus pugnandi, & vincendi.

[redacted]

tembergo ſociis aucti, ac lorica probe mu-niti ſeſe intra ordinem continuerant, haud ſatis ordinate invecta, nec ignem in ſe ef-fuſum, nec reſiſtentium vim ſuſtinuit; dumque hoſtem timidius, atque turbatius impetit, loco movetur denique, & in ca-ſtra ferociſſime rejicitur A). Periculi ma-gnitudine obſervata Eugenius Pálffium e medio victoriæ curſu revocat, & in avul-ſos longius, vincentesque Janicsaros impe-tum facere jubet; ut averſo in ſe periculo ſpatium pediti faceret ſemet colligendi. Vir-tembergicum una, ac Löffelholzium in ho-ſtem immittit; Regalium & Harrachium ad reſtituendam rem, ſicubi inclinaret, inten-ti ut eſſent, commonet. Efferveſcit no-

 vus,

A) Singularem hoc loco memoriam, & peren-nem nominis commendationem mereretur C. de Bo-neval, qui prælii æſtu, & multitudinis impetu cum CC. ſuis in caſtra hoſtium retruſus fortiſſime reſtitit, amiſſisque cæteris ferro viam aperiens ad ripam da-nubii cum XV. evaſit; verum gloriam omnem pe-nitus exſtinxit turpiſſima ad Mahometem defectio-ne, cujus ritibus ſolenniter inauguratus Romeliæ Baſſa renunciatus poſtea fuit.

vus, ac plane inſolitus pugnantium ardor. Pálffius repulſis Janicsaris tanta vi in equitatum hoſtilem fertur; ut ruptis fulminis inſtar ordinibus confuſos cæderet, fugatoque brevi equitatu omni, victorum iræ pedites objiceret. In quos miſerum in modum a noſtris ſævitum. Terror, & præſens mortis horror adeo turbavit barbaros; ut nec Duces imperare, nec milites obtemperare noſſent. Vezirius deſperatis rebus cum effuſos præcipitem in fugam ſuos ſiſtere non poſſet; mori fortiter maluit, quam probroſo laqueo infelicis pugnæ pœnam dare. Concitato igitur equo in confertos noſtrorum ordines rapidiſſimo curſu illatus multorum ſtragem edidit, & generoſe occubuit. Cæſa hoc prælio XXXM. Turcarum communiter perhibentur, præter plurimos ſavo hauſtos, in quem cum ſpe ſalutis, tum evitandæ victorum iræ ſemet præcipites agebant. Vezirius enim pontem, quo ad traducendum paulo ante exercitum fluvium lati cumprimis, ac profundi alvei junxerat, diſſolvi curaverat; ut ſuos ad pugnandum ſtrenue, vel fortiter

morien-

CAROLUS

moriendum cogeret. Cladem hanc morte ſua præter Vezirium Janicſarorum Aga, & XV. primi nominis purpurati nobilitarunt: quorum cadavera fugientes milites, ſui pene immemores, Belgradum detulere. Tanta barbaris vel erga cæſos Duces veneratio, ac ſtudium! Fuſum, fugatumque hoſtem perſecuti Huſſari ad Carloviczium usque vias paſſim cadaveribus ſtraverunt. Præda victori exercitui ceſſit immenſa. Tentoriorum LM. ſigna militaria CLIX., præter V. caudas equinas præcipuum exercitus, ac Imperii Ottomanici decus, & auſpicium A). CXLIX. machinæ bellicæ, doliorum pulvere nitrato refartorum, glo-

A) Memoriæ proditum eſt, initio Regni Turcici accidiſſe; ut in prælio Chriſtiani Turcis primarium vexillum eriperent. Quare adeo turbati fuere; ut cum ſignum, quod ſequerentur, non haberent, cedere, ac fugere inceperint. Sumpto igitur in arena conſilio Imperator caudam equo extractam ſuſtulit, & ſignum eſſe juſſit, redintegrataque pugna victoriam reportavit. Ex eo tempore in honore ac pretio, proque prætorianis vexillis apud Turcas equinæ caudæ habentur.

CAROLUS borumque numerus ingens, Cameli ſupra bis mille, plures bubalorum greges; fabarum Turcicarum, vulgo *Caffee* copia ſumma. Noſtrorum tria millia cæſa, duo vulnerata. Vaſtiſſimum Vezirii tabernaculum circiter meridiem ingreſſus Eugenius victoriarum Largitori Deo cœlique Reginæ immortales grates inter triumphales concentus, ac reſonantia tormenta plaudente exercitu perſolvit. Signa VI. plauſtris, & victoriæ nuncium C. Khevenhüllerum illico Viennam expediit; tum lætiſſimo prandio gratulabundos Duces, non ſine juſtis, ac meritis quosque laudibus accepit. Eugenio, cujus auſpiciis tanta orienti clades illata, Ungaria, & univerſa Europa applauſit A).

VIII.

A) Fama victoriæ hujus teſtes gaudii lacrymas SS. Patri Clementi XI. elicuit, movitque; ut heroi fortiſſimo tamquam *Chriſtianitatis Defenſori* particulam S. Crucis, ſacrum enſem, & pileum transmitteret, aliaque conſecrata munera cum cæteris Ducibus communicanda. Illa Eugenio Jaurini in principe urbis Eccleſia collata ſunt.

[redacted]

CAROLUS

Qui ſubacta Temeſia?

VIII. Victoriæ fructu, & occaſione uſurus Eugenius, priusquam victis vel animus rediret, vel vires colligerent, Temesvarinum ante omnia ſubigere ſtatuit, quod ea in poteſtatem redacta proniora omnia oppugnando Belgrado evaderent, portaque in Valachiam, ac, ſi fortuna juberet, ad Mare adeo Nigrum aperta foret. Nec mora: Principem Virtembergicum, & Pálffium præmittit cum equitatu, qui urbem interea obſidione clauderet, dum ipſe univerſo cum exercitu conſequeretur. Favebant Ducis conſilio cuncta. Inſolita plurium menſium ſiccitate paludes exaruerant, quibus ea plaga, Bego fluvio ad quasvis tempeſtates inundante, innatat, ut aditus ad urbem uligine profunda impenetrabiles alias exercitui redderentur. Æſtus adhæc vehementiones terram ita duraverant; ut militi ad verberandam urbem gravioribus etiam machinis acceſſus undique foret. Opportunitate hac adjuti noſtri, civitatem arctiſſime claudunt. Eugenius conceſſa ſuis exigua quiete, dum caſtra opulentiſſima convaſarentur, Zentam mo-

vit, eo fortaſſis etiam conſilio, ut invictæ ſuæ fortitudinis, cujus ante annos XIX æternum trophæum memorabili illa Turcarum clade ſtatuerat, relictis veſtigiis, parem militi virtutem inſpiraret. Hic die XXVI Auguſti per Tibiſcum tranſivit, & paucis intra dies ad Temeſiam ſe Ducibus conjunxit. Prima Septembris oppugnationi initium datum. Palanka a) aggreſſæ, ut familiare Turcis munimenti genus, ſed fatigando hoſti perquam opportunum, ſuffoſſionibus primum corrumpenda, ſoloque æquanda fuit. In quo dum noſtri dies, noctesque plures deſudant, Turcæ, qui Belgradum fuga ſe ſubduxerant, audito Temeſiæ periculo, communi conſenſione Muſtapham urbis Præfectum Vezirium jubent. Hic confirmatis ſuorum animis, ut ſibi apud Sultanum quoque imperium ſingulari aliquo facinore firmaret, reliquias fugati exer-

---

a) Voce hac veniunt. Præalti aggeres, ſecto lapide vel ceſpite veſtiti, palis, & arboribus, profundaque foſſa aquis repleta communiti, globos quosvis innocue excipiunt, & abſorbent.

[redacted]

exercitus ingenti fiducia Temeſiam rapit. Verum ab Eugenio, qui de adventante hoſte a Pálffio trans Begum excubante monitus eidem ſe junxerat, deductis XI. cohortibus, & parte equitatus cum XXIV. currulibus machinis, non ſine ſtrage lectiſſimorum ſuorum repulſi, nullo operæ pretio patrato viam celeriter repetunt. Liber hoſtili metu Eugenius curas omnes, & vires ad urgendam oppugnationem convertit. Perfectis crebras inter neces operarum viis obſidionalibus, & aqua feliciter e foſſis deducta, Kal. tandem Octobris circiter octavam matutinam totis viribus Palankam aggreditur, ac ut hoſtium curas, & vires diſtraheret, Pálffium ultra Begum amnem, excitato incondito tumultu, imminentis cujusdam diſcriminis ſpeciem edere jubet. Verum Turcis hoc ipſum ſtimulo fuit, ut fortius reſiſterent. Vincere enim, aut mori parati, ultimique exitii metu a deſperatione conſilium, ac vires mutuantes tanta rabie obſiſtunt, ſaxis, telis, facibus, & quidquid furor ſubminiſtrare potuit, impetunt, ut noſtros cum loci etiam ini-

gnaculum nimio tor
quaſſatum: tum inj
copias ſuas Virtembe
Palanka exturbat,
e quibus CCCC. plu
pit. Palankæ expug
rarum certamine,
conſtitit. Sexies n
occubuere. Nulla d
quiete ad convellenda
omnibus Eugenius in
dique furnulos effodi
tiplici ignis materia r
& quidquid perniciem
eſt, contumulat, quæ
rifico fragore rumpeba

nium fornices ſæviente ignea tempeſtate ſeſe conderet : & quia ignitæ pilæ indeſinenter ſupra propugnacula, & urbem volitabant, non modo tuendi mœnia, ſed notandi etiam, quid exterius molirentur, facultas hoſti adempta prorſus fuit, videbaturque hæc ignea procella in dies augeri. Certe vel illa, quæ deditionem præceſſit, die non multo pauciores quater millibus majores pilæ ignitæ in urbem excuſſæ fuerunt. Acceſſit ad externam calamitatem inteſtina quædam ſeditio, aut ſimultas præſidiariorum. Quæ omnia deditionis conſilium, vel ab invito urbis Præfecto extorſerunt. Miſſis itaque ultro citroque nunciis, datisque obſidibus XIII. Octobris illud ab Eugenio impetrarunt; ut ſalvis corporibus, & fortunis abire Belgradum, captivos recipere poſſint. Cætera præcepit Eugenius; ut omnem bellicum apparatum, machinas bello captas, & arma relinquerent. Additi Eugenii humanitate M. currus, quibus deveherentur nobiliores, vel morbis confecti. Poſtridie XIIM. ſine ordine, & ſignis militaribus exceſſerunt. Eugenius

CARO[illegible]

[illegible]nius imminente difficiliori anni tempeſta-[illegible], poſteaquam in hybernis collocaſſet mi-[illegible]em, relicto Legato ſuo C. Claudio Flo-[illegible]mundo Merzio, Viennam abiit æquiſſimi Cæſaris ſui, & civium ſinceris gratulatio[illegible] quiete fruiturus.

Quo fructu?

[illegible]ditionem fructus conſecuti [illegible]i. Sultanus cumprimis ſ[illegible]ui voti religione, quod nuncupa[illegible] [illegible]ae delendis toto Imperio ſuo, immolandisque Chriſtianis mancipiis, ſi victor contra Chriſtianos evaderet. Orator Cæſareus e captivitate, in quam, denunciato bello, conjectum meminimus, liber dimiſſus: quod Temesvarienſis Gubernator ſingularem erga victos Eugenii humanitatem fidemque expertus, id vehementer ſollicitaret. Nobis præterea munitiſſimæ urbis expugnatio tanto lætior exſtitit; quod cum ea DCC. minimum pagi, & oppida e diuturno CLXIV. annorum jugo vindicati fuerunt A), atque tunc primum

finis

A) Univerſa hæc Regio, quæ ſane quam fertiliſſi-

finis impoſitus Turcico in Ungaria dominatui, cujus a finibus nonniſi amiſſo Temesvarino penitus exturbati ſunt. Eodem dein belli impetu captæ a Merſio Pancsova, & Uj-Palanka: a B. Petraſchio Gradiska, Brodium, Velika, Dobaium, Doborium, aſſertique in libertatem e captivitate Turcica MM. Chriſtiani: in Croatia vero a C. Joanne Draskovicſio Dubicza, Perkovicza, Oſzroſoczium, aliaque oppida juris Ottomanici igne ferroque evaſtata; ut exhauſta, & evacuata rebus omnibus non tantum nullo Turcis ſubſidio, ſi bellum continuare pergerent; ſed oneri etiam, & exitio forent. Nobilis denique a Stephano Dettini cum Tranſſilvanis in Walachiam tentata irruptio. Imperitabat huic Provinciæ avare non minus, quam crudeliter Nicolaus

---

tiliſſima atque ampliſſima eſt, in provinciæ formam, redacta *Banatus Temeſienſis* appellatione gaudet, diſtinctisque ab Hungaria legibus, ac peculiari adminiſtrationis forma gubernatur. Solitudinem illic ab Ottomannis inductam & Carolus Cæſar & filia ejus MARIA THERESIA AUGG. multis eo deductis Coloniis utcunque abſterſerunt.

arbitratu, vita et
irritati vehementi
bus ad C. Stepha
rum in Transſilva
evaſerunt, opem
fortunarum ſuarum
continuo Dettinus
poſſet moviſſe, Bu
dit, vigilias nihil h
cat, & Maurocorda
liberis ſecum Cibini
chis magna ſui apr
tione abducit. I
ſtere auſ
MDCC
XXM

CAROLUS

Quis apparatus ad Belgradum?

X. Superioris anni clades dici non poteſt, quanto luctu Orientem involverit. Achmates vias animo circumſpexit, ſiqua honeſta pacis ratio iniri poſſet. Hoc cum exteris Legatis immedium conſulebat, hoc ſæpe numero ſuſpirabat. Vezirii bellicoſum ingenium, ac temeritatem damnabat identidem, quod author fuerit infelicis belli. At quia poſt lætiſſimas armorum progreſſiones a Cæſare, cujus authoritatem ſub initium belli, & pacata conſilia arrogantius rejeciſſe ſe meminerat, æquas conditiones dictandas non ſperabat, curas omnes vehementius exacuit, ut bellum ſumma iterum diligentia appararet. Hiems tota in ſcribendis novis militum ſupplementis abiit. Ex Aſia, Ægypto, Syria, Macedonia, cæterisque angulis vaſtiſſimi Imperii armis idonei gravi mandato ſub ſigna evocati; depactæ pro Bizantii portis equinæ caudæ: Provinciarum Præfectis, ſubjectisque Regulis vectigalia ſolito majora imperata; Alba-Græca, quæ una Chriſtianorum fortunam allidere poterat, XXXM. præſidio, DC. machinis bellicis, omnique apparatu com-

CAROLUS laus Maurocordatus, qui præcipuos gentis (Boeros vocant) quos favere Cæſareis partibus indicio aliquo comperetat, in carcerem conjectos facultatibus mulctabat pro arbitratu, vita etiam non paucos. Ea re irritati vehementius, aliquot e nobilioribus ad C. Stephanum Steinvillium armorum in Transſilvania Præſidem occultis viis evaſerunt, opem adverſus hoſtem vitæ, ac fortunarum ſuarum efflagitaturi. Mittitur continuo Detrihus, qui priusquam ſciri poſſet moviſſe, Buchareſtum noctu invadit, vigilias nihil hoſtile metuentes obtruncat, & Maurocordatum cum conjuge, ac liberis ſecum Cibinium plaudentibus Walachis magna ſui apud Cæſarem commendatione abducit. In reditu M. Turcas obſiſtere auſos internecione delet. At annum MDCCXVI. celebres inter victorias, quæ XXM. bellatorum noſtrorum morte fuerunt partæ, decurrentem lætiſſime, obſcuravit *Leopoldi* Archiducis mors IV. Novembris eodem anno incredibili Augg. Parentum luctu elati.

X.

[redacted]

CAROLUS

Quis apparatus ad Belgradum?

X. Superioris anni clades dici non poteſt, quanto luctu Orientem involverit. Achmates vias animo circumſpexit, ſiqua honeſta pacis ratio iniri poſſet. Hoc cum exteris Legatis in medium conſulebat, hoc ſæpe numero ſuſpirabat. Vezirii bellicoſum ingenium, ac temeritatem damnabat identidem, quod author fuerit infelicis belli. At quia poſt lætiſſimas armorum progreſſiones a Cæſare, cujus authoritatem ſub initium belli, & pacata conſilia arrogantius rejeciſſe ſe meminerat, æquas conditiones dictandas non ſperabat, curas omnes vehementius exacuit, ut bellum ſumma iterum diligentia appararet. Hiems tota in ſcribendis novis militum ſupplementis abiit. Ex Aſia, Ægypto, Syria, Macedonia, cæterisque angulis vaſtiſſimi Imperii armis idonei gravi mandato ſub ſigna evocati; depactæ pro Bizantii portis equinæ caudæ: Provinciarum Præfectis, ſubjectisque Regulis vectigalia ſolito majora imperata; Alba-Græca, quæ una Chriſtianorum fortunam allidere poterat, XXXM. præſidio, DC. machinis bellicis, omnique apparatu com-

CAROLUS

miſceretur. Cujus nunc beneficio evita-[illegible]is hoſtium incurſionibus, & arce, unde facile lacerari potuiſſent, naves bellicas proſpere deduxit.

Qua arte danubium tranſiit Eugenius?

[illegible]erim cura trajectus Eu-[illegible] enim danubii ripas ho-[illegible]nt, intentæ cumprimis [illegible]i. Atque in conſpectu [illegible] danubius fuit, quod hunc in [illegible]m Eugenius perfecit. Bellicas aliquot in vicinis inſulis collocat præſidio tranſituris futuras, ſicqua incurſio ab hoſte Tauruno, vel Orſova fieret: duas alias æratas naves cum C. tormentis ad ripam hoſtibus infeſtam præmittit, quæ Thraces repellerent, ac ſocios defenſarent. Tum Brounium cum XXX. copiis claſſi impoſitis tentare tranſitum; mox Merſium pari militum numero ſequi jubet. Ut medium fluminis attigerunt, ſoluto tormento ſignum ſociis dederunt, qui ſublato in inſulis clamore, editoque tubis, ac tympanis ingenti fragore Turcas attonitos primum fecerunt, dein tormentis acrius ex æratis navi-

navibus impeditos ab ora fluminis tantum repreſſerunt; ut noſtri excenſionem facere; remiſſisque continuo claſſibus ſemel ac iterum ſocios accipere, ac egeſto ſine mora aggere ſemet obvallare potuerint. Quo obſervato Thraces pannico quodam terrore correpti Semendriam, ac Taurunum celeri fuga ſemet receperunt. Quo factum; ut liberum poſtea noſtris ſpatium foret pontis perficiendi: per quem univerſus exercitus XIX. Junii citra jacturam ullius militis tranſiit. Qua in re quantum Eugenius præſtiterit, militiæ periti norunt optime.

Quomodo caſtra metatus?

XII. Arcem ſubinde exploraturus Imperator cum delecta manu paullum progreſſus, M. equites ex urbe obvios habuit: quorum unus temere audax conſpecto Duce, equum incitat cupidus vel morte ſua per cædem unius bellum omne terminandi: ſed momento ab Eugenii aſſeclis conciſus temeritatis pœnam dedit. Cæteri a pirobolariis diſſipati. Poſtridie exercitum urbi affundit, & locum omnem, qui danubium inter, ac Savum intercedit caſtris

CAROLUS capit, ducto protinus ad fluviorum usque ripas duplici magnæ altitudinis vallo, altero urbem prorſus occludit, caſtrorum terga altero adverſus auxiliares copias fortiſſime firmat. Propugnacula item ex aggere, & caſtella idoneis locis efficit. Eo dein curas convertit; ut fluvium utrumque in poteſtate haberet. Quare propius urbi navalem pontem adduci jubet; cui ad cuſtodiam utrinque alias in anchoris naves addit. Ad oſtia etiam Temeſiæ claſſem conſtituit, quæ Turcas prohiberet, ne quid a tergo ponti officerent. Duas alias ſupra Belgradum Schvendimano committit. Ita Danubio omni ex parte intercepto, ut commercii ſpes omnis a Semendria Præſidiariis in Savo quoque ſucciderctur, & noſtris communicatio eſſet ſecura, Haubenus fluvium hunc ponte ſolido ſternit, nihil non agentibus Turcis, ut operas impedire poſſent.

In quod periculum conjectus a Turcis?

XIII. Quatiebantur interea ſine intermiſſione machinarum bellicarum vi mœnia ſucceſſu optimo, aditusque omnes tam ar-

cte

[redacted]

CAROLUS

ĉte clauſi tenebantur; ut præſidiarios jam non levi rerum penuria laborare cepiſſe indiciis non obſcuris conſtaret. CCCC. quippe. equos ob defectum pabuli fracto dorſo ejici urbe oportuit; quin tamen quidquam adhuc de deditione cogitarent; quod certi erant adfuturum brevi Vezirium. Et reipſa die XXVIII. Julii in conſpectum noſtrorum venit immenſus Turcarum exercitus CC. conſtans millibus, propiusque ſemper accedens, tertio poſt die Eugenii caſtra vallis, foſſisque probe munita tam valide circumvallat, ut ſama clauſi exercitus Chriſtiani a fronte urbe omnium munitiſſima; Danubio ad latera, & Savo; a tergo exercitu Vezirii innumerabili per Europam dita, trepidatione ſuſpenſos Principum, ac populorum animos tenuerit; unum Eugenium, & qui ſub eo vincere aſſueverat, militem certa victoriæ ſpe, & incredibili gloriæ cupiditate ſuccenderit. Cæterum res periculo non carebat. Vezirius enim cum nulla omnino ratione, ac via ſuppetias urbi poſſet injicere, igne perdomare noſtros in animum induxit, & e CXXX.

[illegible]

[illegible] In iis [illegible] quod is, per quem mandata [illegible], & [illegible] Vezirum ad [illegible] expediverat, [illegible] Hungarus a) cum Pálffio & Vezirio, & [illegible] urbis Præfecti literas Pacis [illegible] motus communicavit, quibus dies & modus

a) Joannes Vékony Rákotzii olim ſigna ſecutus, nunc apud Turcam ſtipendia merebat. Superiore anno ad Temeſiam cum Pálffio ſæpe familiariter convenerat: qui tunc Patriæ ſtudium ei perquam utiliter, ut nunc patuit, commendaverat.

[redacted]

dus deſignabatur, quo utrinque caſtra Chriſtianorum aggrederentur.

CAROLUS

XIV. Eugenius cognitis rebus prævertendam ſibi putavit eam hoſtium deſtinationem. Itaque MAGNÆ Hungarorum DOMINÆ in cœlos Aſſumptæ die, quid ſingulis Ducibus agendum, quove ordine, & parte progrediendum foret, tanto ſilentio præſcribit; ut neque ab exercitu; neque ab hoſtibus, quid moliretur, poſſet intelligi. Aciei typus hic erat ſcripto Ducibus traditus: in prima acie dextrum cornu Starembergius; Harrachius lævum moderaturi erant; ſecundam aciem Beveranus Princeps univerſo peditatui præpoſitus Princeps Virtembergicus. Ad utramque alam equitatus ita diviſus: ut dextram Ebergényius cum Merſio, ac Batteo; ſiniſtram cum Nádasdio, ac Martignio Montecuculus regeret. Utraque pendere ab Imperio Pálffii juſſa: Seckendorſius, ſi qua parte acies inclinaret, ſuppetias ferre. Ad caſtrorum, pontiumque tutelam Brounio, Viardoque Ducibus relictæ cum parte equitatus ſeptem

Quanta gloria illud ſuperavit?

CAROLUS Legiones. Camuſio rei tormentariæ P
fecto mandatum; ut arcem ſolito maj
jaculationum numero, ac frequentia v
beraret; ne obſeſſi exaudire, aut reſci
poſſent, quid foris ageretur. Curatis
ctu corporibus, & equis, Eugenius
ſtra obequitans tanto ſingulos ardore
flammavit; ut ægre jam contineri miles
tra valla poſſet. Sub tertiam igitur v
liam per Legatos profectionem ſilenti
ſignis exercitui imperat. Equitatus,
prima in acie dextrum cornu tutaba
ſplendente luna caſtris egreſſus brevi ali

CAROLUS

Pálffius errorem animadvertens, eundem conſilio corrigere, ac in occaſionem rei bene gerendæ vertere decrevit. Paucis ſuos cohortatus, qua hoſtium munitiones perrumpendæ ſorent, exemplo commonſtrans, facta ſcloporum diſploſione, cum primis cohortibus momento in aggeres emicat. Sequuntur aliæ, & horrifico equorum ſtrepitu, armorumque concuſſione ſpeciem irrumpentis exercitus univerſi præbent. Hoſtes reſiſtere initio, ſclopis, ac frameis rem agere ſtrenue; locum, quem quisque primo occupaverat, tueri fortiter; ſed brevi ſine conſilio, ſine animo palantes totis munitionibus terrorem ſpargunt, metu, ac tumultu complent omnia. Proxime fuerat, ut Legiones non plurimæ una ſcloporum exploſione CC. hominum millia in fugam verterent, & caſtris omnibus potirentur; niſi reſumptis animis fortiſſimi quique Janicsarorum turmatim accurentes, uti perditis in rebus fieri aſſolet, incredibili vi, ac pertinacia impetum noſtrorum ſuſtinuiſſent; donec alii atque alii primo e terrore ſemet colligentes confluerent. Aucti numero

CAROLUS mero prælium ſane quam cruentum commiſerunt. Pugnantium clamorem per tenebras ſecutus Merſius cum ſuis ſtragem infert; quæ tunc maxima, ac memorabilis cumprimis fuit, quando Starembergius cum [illegible] foſſas, & aggeres ad locum [illegible] ſtatus verbo, & exemplo p[illegible] lit, ac quoniam equi per[illegible] ogredi prohibebantur, pr[illegible] premens, occupatis, verſisque tormentis hoſtilibus penitus diſſipavit; in cujus gloriæ partem ſiniſtrum cornu remorante nebula ſerius, atque opportuerat, advenit. Fugientes ardentius perſecutus equitatus noſter, mediam aciem adeo nudavit; ut hoſtis eo cæcis erroribus penetrans, exercitum periculoſe admodum diviſerit, equitatumque urgere Savum verſus, ac circumvenire dextram alam ceperit. Sed ſol jam altior diſſipatis commodum nebulis plenum caſtris diem affundens, Eugenio ad ſiniſtram partem conſiſtenti periculum detexit: volones ille appellans, occaſionem pugnæ alioquin ardentes cum ſecunda acie in hoſtem immittit, ac ipſe in cer-

[redacted] CAROLUS

certamen deſcendit. Quis explicet, quo ardore pugna ubique redintegrata ſit! Movebat militem Imperatoris conſpectus, & ejus periculorum contemptor animus. Verſabatur enim in prima acie intrepidus, & quamvis ab uno e Janicsaris ictu gravi læſus eſſet, permanſit tamen incredibili militis incitamento, & præcipuam ubique laboris, ac periculi partem capeſſebat, dum hoſtis profligaretur. Singulare conſilium hic, atque virtus Viardi enituit. Conſpicatus ille e caſtris, quorum ad cuſtodiam relictum meminimus, cornu dextrum exercitus noſtri tormentis ſuperiori e loco vehementius impeti, aperta per medios hoſtes ferro via, cum parte equitatus in collem perrumpit, hoſtes dejicit, tormenta occupat, & victor caſtra repetit: promeritis poſtea laudibus ab Eugenio coram Ducibus exornatus. Expulſo tandem munitionibus omnibus hoſte, Eugenius fervore militis uſus caſtra Vezirii aggreſſus eſt. Quæ tametſi triplici vallo, ac innumerabili milite defenderentur; impetum tamen noſtrorum, nec valla fortiſſima, nec miles mul-

titu-

CAROL

..itudine ſua laborans ſuſtinere diu potuit. ..xercitus ſiquidem Chriſtianus juſto omni ex parte agmine, denſoque ordine progreſſus, & paſſum omnem virtute adeptus, cuncta obſtacula brevi perfregit. Spahii in tanta ... one non jam de Imperii ſui ... l Belgradi poſſeſſione, ſed ... ſua ſolliciti in apertam fugam ... o nudant, & ad faciliorem ... i ... unt. Poſt cruentum itaque, & acre admodum quinque horarum certamen peditatus quoque profligatur, & caſtris ad extremum omnibus exturbatur. Vezirius & militis, & periti Imperatoris partes toto hoc prælio egregie executus cum paucis fugæ ſociis Niſſam pervenit. Miſſi levioris armaturæ equites ad perſequendum hoſtem, tantam cædem fecerunt; ut eo die undeviginti Turcarum millia occubuiſſe, Hiſtorici, qui parcius ſcribunt, conſentiant.

Quæ victoriæ magnitudo?

XV. Caſtra vaſtiſſima rerum omnium affluentia deſertæ cujusdam urbis opulentiſſimæ ſpeciem, & prædam militi offerebant.

bant. Tormenta reperta CXXXI. Mortaria XXXVII. DC. vaſa pulveris pirii. Bolides igneæ IVM. globi pro tormentis XXM. Signa LIX. IX. caudæ equinæ. Argenti, auri facti, infectique vis pro tanto exercitu ingens. Variæ item ſupellectilis, ac ſabarum Turcicarum immenſa copia. Jumentorum autem tanta multitudo; ut uno argenteo tres Camelos veniiſſe fama ſit. Perdomito penitus Vezirio victor Eugenius caſtra ſua illico repetiit immiſſis in urbem quibusdam captivis, qui triſtiſſimam devicti exercitus famam veriſſimi nuncii perferrent. Toto enim tempore, quo pugna fervebat, nihil omnium in urbe cognoſcere poterant, quæ in caſtris fiebant; quod denſiores nebulæ viſum, auditum continui tormentorum fragores prohibebant, quibus continenter urbis ingenti ruina verberabatur. Nam una cumprimis pila majoris formæ in turrim pulvere nitrato plenam delata, tanta ſtrage eam ſuccendit; ut urbs pæne tota ſuis e fundamentis emota eſſe videretur. Quæ omnia incredibile dictu eſt, quantopere obſeſſorum

CAROLUS

animos

CAROLUS animos concuſſerint. Miſſus itaque in urbem nuncius deditionem Eugenii nomine imperat. Urbis Gubernator ne victorem reſponſo duriore irritaret, circumducto per urbem Legato apparatum bellícum in lon- [illegible] fecturum generoſa mod[illegible] benigniorum poſtea impet[illegible]onum. At Eugenius ne p[illegible] deditionem, ſed pro p[illegible] Orientis domitor videretur, tantam ignium procellam poſtridie in arcem cepit effundere; ut præſidiarii ultimum ſibi inſtare diem exiſtimantes ſublato e propugnaculis candido vexillo ipſimet deditionem offerent. Traditum Belgradum XVII. Auguſti Eugenio his cæteras inter legibus: res tormentaria, nautica, & annonaria omnis noſtris cederet: captivi ſine litro redderentur: Turcis fas eſſet, explicatis ſignis militari cum pompa urbe excedere. Quod miſerum ſane ſolatii genus haud gravate indulſit Eugenius, parum intereſſe arbitratus; paſſisne capillis, an vexillis excederent, modo urbe cederent. Actis deinde in urbe, & caſtris Triumpha-

to

CAROLUS

tori DEO gratiis, Miſſarum ſolemnia ſub tentorio Vezirii peracta ſunt inter lætiſſimos tormentorum fragores. Biduo poſt militari ordine ſupra XX. millia Turcorum abiverunt, relictis præter nauticam, annonariamque rem DXXXIV. tormentis ex ære omnibus, & LXVII. mortariis. Hunc in modum Eugenius redacto in poteſtatem Cæſaris Tauruno, atque dimiſſis in ſtativa militibus ſolito maturius, inter fauſtas, quacunque iter haberet, acclamationes, Viennam XIX. Octobr. rediit; cui Cæſar obviam extra ſuburbia miſſo Legato gratulatus, gladium auro, & gemmis divitem muneris loco tradidit, ac venientem paulo poſt velut Chriſtiani Imperii vindicem, & conſervatorem pro ſolio laudavit.

Quæ pacis ineundæ occaſio?

XVI. Attrito duorum annorum cladibus oriente, cogitari facile poteſt, quanto cum rei Chriſtianæ emolumento victoriarum curſum proſequi potuiſſet Carolus, niſi a Philippo Andegavenſi ad vindicandam armis Siciliam avocatus fuiſſet. Is enim Hiſpania non contentus, Neapolim inſu-

CARO

ſuper, & Siciliam ad hæreditatem ſuam
rtinere exiſtimavit, belloque præter ſpem
translato repetiit, tempore ſane quam
eniſſimo: neque ab ea invaſione, vel
mmi Pontificis, vel aliorum Principum
is avocari potuit. Ita-
q s ad tuendam Siciliam
itibus Turcis minime
neg Obſtabat diu Euge-
niu certius pollicitus, ut
quoni flos T rcici exercitus interierat,
eodem adhuc anno victoriæ trophæa Bizantii defigeret, occupataque principe ea urbe Orientis, Imperium Cæſari procuraret. At ille pluris Italicas ditiones, quam incerta Orientis ſpolia faciens, Anglis, Batavisque Oratoribus pacis conficiendæ arbitrium commiſit; ita tamen, ut eadem ad Venetos etiam pertineret. Delectum Paſſarovicium intra Moravæ, & Danubii confluentem ſitum oppidulum, quo utriusque partis Legati convenirent. Ad extorquendam facilius a Turcis pacem plurimum contulit Eugenii Ducis Belgradi præſentia, qui tanta diligentia res curabat, tanquam acer-

rimum

[redacted]

rimum bellum inſtaret; hac enim belli proſequendi ſpecie, multæ a Turcis oblatæ difficultates feliciter ſuperatæ, negotiumque pacis inſigniter promotum fuit. CAROLUS

XVII. Celebrato inſequentis anni M. DCCXVIII. die XXX. Maji primo conventu, in eo utrinque aſſenſum: partes belligerantes in urbium, & provinciarum captarum poſſeſſione manerent; Venetis, quod jure repetebant, reſtitueretur. At quoniam Cæſareus Orator poſſeſſionis nomine integras Provincias, quarum fines ceperamus, intelligi oportere contenderet, litigatum fuit aliquamdiu: ſed poſtquam Eugenius ſciſtitari ex noſtro Oratore juſſit, eſſetne honeſtæ alicujus pacis ſpes, vel ſecus; ut continuo bellum proſequi poſſet, Turcæ metu perculſi, in hæc conſenſere: Pax in XXIV. annos eſto. Temesvarinum, Belgradum A) cum adjacente Re- Quæ conditiones?

A) Utramque hanc urbem Carolus maximis ſumtibus ad omnem firmitatem communivit. Et ne pietatis fideique propugnacula deeſſent; Regia muni-

CAROLUS gione: pars Valachiæ ad Alutam usque, Bosnia Savo finitima cum arcibus Cæſari Hungariæ Regi cedant; limites peritorum judicio ſtatuantur. Captivi omnes intra LXI. diem reſtituantur, Chriſtianis liberum ſit [illegible] inari, Venetis ſatis fieret. [illegible] Viennam, Bizantium, & V[illegible] tra XXX. dies confirmarentur. [illegible] ſe ſubinde legationibus percolerent. [illegible] pax concluſa An. M. DCCXVIII. Eugenius maximis ſuis ingratiis dimiſſo exercitu, Viennam rediit A).

XVIII.

---

munificentia inſtaurato Chanadienſi Epiſcopatu Antiſtitem Temesvarini collocavit C. Ladislaum de Nádasd; Belgradi autem novam ipſe erexit Eccleſiam.

A) Poſtrema hæc fuit Eugenii in Turcas expeditio. Cujus res in Hungaria geſtas elegante ſtilo deſcripſit Guido Ferrarius e S. J. tribus libris comprehenſas, quæ Tyrnaviæ ſunt recuſæ An. M. DCCLXV. Quod opuſculum ut lector conſulat, majorem in modum auctor ſum. Exſtat etiam Eugenii vita Gallice ac Germanice ſcripta.

[redacted]

CAROLUS

Quanta conſenſione ſucceſſio fœminina introducta?

XVIII. Carolus Turcico bello feliciſſime terminato, curas ſuas ad Regni Hungarici inſtaurationem mox reſumſit. Poſtquam ab iis, quibus in poſtremis Comitiis commiſſum erat, ſyſtema gubernationis elaboratum accepiſſet, nihil cunctatus in diem XXII. Junii, An. MDCCXXII. Ordines Regni Poſonium evocat. Ipſe etiam ſubinde eodem ſe contulit, ea, quæ vel ipſe longa meditatione excogitaverat, vel ab aliis conſcripta erant, communibus ſtudiis ad publicam utilitatem introducturus. Ne autem id genus innovatio, ut olim non raro factum, a quoquam in ſiniſtram partem accipi poſſet, ac una ipſe ſinceri in commune bonum animi ſpecimen daret, ſub ipſum Comitiorum exordium ſponte ſua cunctas Hungaricæ gentis immunitates, & privilegia ad eum diem ſive diplomatibus, ſive legitimorum Comitiorum ſtatutis conceſſa, ac porro concedenda rata habuit, novoque aſſenſu roboravit. Ea Cæſaris optimi benevolentia vix dictu eſt, quanta Ordines omnes lætitia affecerit: qui dudum jam inter ſe conſilia agitabant, quam

CAROLUS potiſſimum gratiam referrent meritiſſimo Cæſari, cujus auſpiciis jugum Turcicum penitus jam exuerat Hungaria, cujusque tam luculenta ad reparandam Regni felicitatem exſtabant argumenta. Itaque cum ad e[illegible] obſtantibus tot populorum [illegible]ula eum carere ſobole dolentes [illegible] nec illius porro ſpes affulg[illegible] conſenſione decrevere, jus h[illegible] u. [illegible] Hungariam ſucceſſionis ad Caroli primum filias, nominatim Mariam Thereſiam primogenitam transferre, cujus hæredibus, quod Numen avertat, aliquando ſublatis, Joſephi primum, tum Leopoldi Cæſaris filiarum poſteris jus ad diadema Hungaricum eſſe voluere, habita ſemper primogenituræ ratione, atque illius, qui ceteras Auſtriacas ditiones vi ſanctionis pragmaticæ A) aliquando conjunctim poſſeſſu-

A) Sanxerat nempe Carolus VI. ut virili Habsburgica ſtirpe deficiente, fœminæ ſuccederent, ea tamen lege; ut prima omnium eſſet primogenita filia MARIA THERESIA illiusque poſteri, tum vero ex Joſephinis, ac denique Leopoldinis lumbis de-

[redacted]

CAROLUS

ſeſſurus eſſet: ea adjecta conditione, ut Id genus hæreditarii Reges inaugurationis ſuæ tempore ad hunc ſucceſſionis ordinem, & immunitates gentis obſervandas ſemet diplomate, & jurejurando, ut Carolus ante fecerat, obligarent. Re hunc in modum concluſa miſſi Regni nomine ad Cæſarem Viennam Oratores, qui hanc ſucceſſionis in fœminas transferendæ voluntatem ſignificarent, ab eodemque confirmari flagitarent. Delectatus mirifice ſpontanea ea Hungarorum electione Cæſar, ſinceram Regni Hungarici voluntatem auctoritate ſua roboravit. His ex ſententia confectis, Ordines Regni ad leges rogandas ſtudia transtulere A).

Quæ præcipue perlatæ tum leges?

XIX. Si quis legum tum perlatarum ſapientiam, utilitatem, atque præſtantiam di-

---

deſcendentes: ſtatutum inſuper ne ditiones Auſtriacæ dividerentur; ſed uni ſemper eidemque primogenito parerent.

A) Acta Comitiorum a Carolo Cæſare, & Rege roborata ſunt die XIX. Junii An. MDCCXXIII. Vide Codicem Juris Patrii.

CAROLUS diligentius expendat; profecto Comitia hæc e celeberrimis, quæ unquam celebrata ſunt, fuiſſe pronunciabit. Nos præcipua ſolum capita adferemus. Stabilita Palatini una, atque Locumtenentis auctoritate, definitum; quæ crimina Majeſtatem lædant, quæ item actus majoris, ut vocant, potentiæ cenſenda, quibusve pœnis plectenda ſint. Terreſtres Domini, ac Nobiles univerſim a tributi onere exempti, juſſi tamen, cum neceſſitas poſtularet, ritu ſolito militiam facere. Præſcripta in Comitiis deliberandi, ſententiasque modeſte proponendi ratio, cautum; ne id loci alia, quam publica Regni totius negotia, proponerentur. Datum Comitatuum magiſtratibus negotium, ut prohibeant, ne terreſtres Domini ultra urbarium indebitis oneribus ſubditos premant. Quoniam ſuperiorum bellorum tempore & per Tranſilvaniæ Principes & per alios vicinos populos magna ditionum pars a Regni finibus citra fas avulſa fuit, crebræque eapropter inter finitimos lites & cædes enaſcebantur, Denominati ex omni Ordine Commiſſarii, qui literariis inſtrumen-

[redacted] CAROLUS

mentis variisque pacis tractatibus accurate examinatis veteres verosque limites inter Hungariam, vicinasque provincias definiant. Præſtitutus in capitulis, & conventibus litterarum extradendarum modus: jus hoc ſacro monti Pannoniæ poſtliminio reſtitutum. Decreta Archivi Regni inſtitutio, unde privati litteras familiarum ſuarum póſſint repetere. Ad conſervandas familiarum facultates, certamque hæredibus reddendam ſucceſſionem, introductum dilapidatoribus ſequeſtrum. Mandatum Prælatis, ut in Diœceſibus ſuis, ſupremis autem Comitibus, ut ſuis in Comitatibus, niſi publica obſtet ratio, reſideant. Strigonienſi Capitulo permiſſum; ut, quia nullus jam a Turcis metus eſſet, Tyrnavia Strigonium veterem ſedem, & Eccleſiæ Hungaricæ Metropolim poſſit concedere, quo ſic D. Stephani Regis & Fundatoris menti ſatisfieret. Rogatus Cæſar, ut, quia Seminariorum, & Convictuum inſpiciendorum jus ſibi ſoli reſervaverat, recte inſtituendæ juventutis curam gereret, atque præter Theologicas, Philoſophicas, Juridi-

CAROLUS casque ſcientias, alias quoque diſciplinas & artes cum civiles, tum militares, & quidquid in celebrioribus Univerſitatibus tradi ſolet, in Hungariam introduceret, gentem [illegible] am armis fere ad eum diem [illegible] genæ etiam eruditionis [illegible] dderet; datum itaque Ordi[illegible], ut modum, rationem, [illegible] commode inſtituendi ſi[illegible] s hac de re Cæſari ſuggeſtum ſit, non conſtat; at enim facile quisque mihi aſſentietur, tum demum omnigenas ſcientias & artes condiſcendi ardorem popularibus inſpiratum iri; cum viderint doctis Literatis viris & honores & præmia id genus domi decerni; quibus eos apud cæteras Europæ nationes excoli intuentur. Ut virtus promotore carens, ita literæ Mecænate deſtitutæ jaceant oportet. Præter hæc neceſſaria ſane Literarum cultoribus incitamenta, media quoque eruditionis domi comparandæ affatim ſubminiſtranda ſunt, atque imprimis plures ſelectiſſimorum librorum Bibliothecæ publicis uſibus aperiendæ, ut juventus patria non modo

vete-

[redacted]

CAROLUS

veterum auctorum inde notitiam hauriat; verum etiam quid in uſum ſocialis vitæ jam a Recentioribus repertum ſit, intelligat, ſicque in quovis diſciplinarum genere ad ea, quæ in tenebris adhuc poſita ſunt, elucubranda animum adjiciat, hæc occaſione Legis de inſtaurandis literarum ſtudiis obitar inſinuanda habui. Moniti poſtea Antiſtites, & Patroni Eccleſiarum; ut verbi Divini Miniſtrorum congruæ ſuſtentationi provideant. Commendata omnibus deſertarum regionum impopulatio; propoſitum de Commerciis peritorum ope in Regnum introducendis, atque eum in finem canalium pro navibus ferendis idoneorum inſtitutione, verum utiliſſimæ hæ curæ intra deſideria conſtitiſſe videntur, opportuniſſimaque hæc & ſitu ſuo, & ſoli fertilitate Commerciis faciendis Regio, præcipua iſta omnis rite conſtituti Regni baſi & fundamento incertum qua de cauſa etiamnum deſtituta eſt. Actum etiam provido ſane, Hungariæque utiliſſimo conſilio de omnis generis evocandis artificibus: contra blaſphemos in Deum, Deiparam, & Sanctos

CAROLUS

veteres pœnæ ſtabilitæ; uſurariis, qui ultra ſex a centum acciperent, totius ſummæ capitalis amiſſio conſtituta. Oratus etiam pientiſſimus Cæſar; ut crebra ſua in R[illegible] [illegible]les ſibi ſubditos conſol[illegible] Patriæ vigorem inſpir[illegible].

Quomodo conſultum juſtitiæ?

[illegible] ſive Cæſaris, ſive Ordinu[illegible]ere. Dominantibus in Hungaria Turcis, multa contra fas, & æquum acta ſapientiſſimarum etiam legum rigore corrigi non poterant: nunc autem Regno in libertatem vindicato, tantæ mox enatæ ſunt lites; ut ordinarii Regni Judices iisdem decidendis minime ſufficerent. Itaque definita Comitatibus priſtina ſua auctoritate: in Protonotariorum Regni locum quaternæ Judiciales, ſive diſtrictuales tabulæ inſtitutæ: pro Cisdanubianis Comitatibus Tyrnaviæ, pro Transdanubianis Ginſii; pro Ciſtibiſcanis Eperjeſini, ac demum pro Transtibiſcanis Magnovaradini, quæ poſtea Debreczinum translata fuit. Hic conſidere juſſi Præſes, & quaterni Aſſeſſo-

res

[redacted]

[redacted] CAROLUS

res Juris Patrii peritiſſimi, addito Jurato Notario. Inſtaurata poſtea uſitata olim Tabula Regia, quæ demtis feriarum temporibus conſtanter cauſis litigantium cognoſcendis decidendisque vacaret, cui cum Præſide Perſonali Regis novem, ut minimum, Judices aſſiſterent, quo e cunctis tam Hungariæ, quam Illyrici tribunalibus appellatio fieret. Denique ſuprema Judicandi poteſtas Septemvirali Tabulæ attributa, ad quam cauſæ omnes ultimum devolverentur: quod ut eo majore accuratione fieret, ſeptem viris Regni Judicibus præterea duo e Prælatis, totidem e Magnatibus, ac quaterni ex equeſtri Ordine additi. Hujus tribunalis Præſes inſtitutus Palatinus, atque una Locumtenens, eo abſente Judex Curiæ, definitumque, ut ſtatis temporibus Præſes eum undecim, ut minimum, Judicibus Tabulæ huic aſſideret. Geminum hoc ſeptemvirum, & Regium tribunal Peſtienſi in urbe collocatum etiamnum ſapientiæ & æquitatis laude floret. Multæ adhæc de cauſarum tractandarum ratione perlatæ fuere leges, monitique Ad-

voca-

CAROLUS

vocati; ut omiſſis verborum inanium involucris, legibus, rationibusque legi conformibus, nec niſi ternis exceptionibus uterentur. Feriarum item tempora definita A).

Quomodo inſtitutum conſilium locumtenentiale?

[illegible] gantium commodo dec [illegible] a [illegible] lhuc non minus hono[illegible] um [illegible] Regno univerſo molitus [illegible] Meminerat ille ſæpius conditas leges, quibus negotia Hungarica per Hungaros tractari jubebantur: huic raro ſatisfieri potuit: nam vel leviora erant; quam ut eorum cauſa tantis ſumtibus Comitia celebrari oporteret; vel tanta opus fuit feſtinatione, ut intra tam breve tempus Ordines Regni confluere non poſſent. In hoc itaque ut Hungaris gratificaretur Cæſar, ac una recto ordine res politica Hungariæ adminiſtraretur, veterem illum Regalem Senatum, qui a D. Stephano

A) pri-

A) Singula hæc vide ab Articulo XXIV. usque ad XXXVIII. De judiciis & cauſis conſule Decretum A. MDCCXXIX.

[redacted]

a) primo Hungariæ Rege provide inſtitu- CAROLUS
tus,

---

a) Conſulto hic D. Stephanum Primum Hungarorum Regem, vocamus: quamvis Cl. Joannes Peltz in eruditiſſimo ſuo commentario, cui titulus: *Hungaria ſub Geiſa*, Sopronii anno ſuperiore MDCC. LXIX. edita contendat Regiam appellationem, & Monarchiæ Hungaricæ inſtitutionem non D. Stephano, ſed Geiſæ illius Patri tribuendam eſſe. Eſt ſane, cur auctor tanta in re *Annalium*, *Diplomatum*, *& Actorum publicorum* rationem habeat, neque ab his, neque a primis Scriptoribus *eo quod vitæ inſtituto religioſi erant* mendaces D. Stephano laudes affutas fuiſſe credi debet. Tot tamque claræ vetuſtatis monumenta pluris facienda ſunt, quam unum, idque ambiguum Ottonis Cæſaris Geiſam Regem nominantis teſtimonium. Geiſam, ut cæteros ante eum Duces, ſummum Principatus jus inter Hungaros obtinuiſſe ultro fatemur: neque id moramur, a nonnullis ſcriptoribus Regem appellatum fuiſſe. At quid tum? an non Scriptores Toxim etiam Geiſæ Patrem Regem dixere: quin tamen idcirco primum illum Hungarorum Regem faciamus? fuit nempe hæc tum Scriptoribus libertas, ut Hungarorum Principes jam Reges; jam Duces nominarent. Illud hic ſolum quæritur; quandonam Regia appellatio, eademque ſtabilis cum domi, tum foris Hungarorum Ducibus tribui cœperit? Atque hóc fa-

ctum

CAROLUS tus, tot ſeculis usque ad Mohácſianam cladem maximo Reipublicæ commodo perdurave-

---

ctum tempore D, Stephani, tota retro antiquitate conſentiente, nemo hactenus in dubium revocavit. Domeſtici, & exteri fatentur D. Stephanum & Diademate & apellatione Regia a Sylveſtro II. Pontifice ornatum fuiſſe, ex quo tempore ille Regem ſe appellavit, atque a ſuis etiam ſtabiliter appellari voluit, hos ei una & ſucceſſoribus titulos ſummi Chriſtianorum ſacrorum Antiſtitis exemplo tribuere omnes Chriſtiani Principes; nemo ut unquam deinceps Hungaris ſumma cum poteſtate imperans a quoquam Dux diceretur. Hæc de Regio titulo. Quod autem Monarchiæ Hungaricæ conſtitutionem, nullo ut mihi videtur, evidente argumento nixus D. Stephano abjudicet, Geiſæque adſcribat, vereor, ut tam facile, atque Cl. Auctor aſſerit, a cordatis viris credatur: qui enim naſcentis tum Monarchiæ Hungaricæ formam, & partes omnes adeo eleganter, & copioſe in laudato commentario ab Auctore explicatas legerint, ſubvereri poterunt; ut moles tam pulchra tam inſigni ordine, ac numeris omnibus abſoluta, quæ ſummam in Principe ſapientiam, & in optimatibus inſignem animi in commune bonum comparationem declarat, a Geiſa Duce recens ad Chriſtum converſo, homine, ut ea ferebat ætas, rudi; neque ullis diſciplinis imbuto, & a Gentis Pri-

ráverat, revocandum ſibi inſtaurandumque putavit. Sapientiſſimi hujus conſilii auctorem CAROLUS

Primoribus gentilibus æque inductis, nec niſi bellicam gloriam aucupantibus deſcribi, introducique potuerit. Illud item durum erit perſuadere, Hungaros gentilibus aſſuetos ſuperſtitionibus, & moribus, nec adhuc ſuaviſſimo Evangelicæ legis jugo edomitos tantam regiminis commutationem, libertatisque ſuæ diminutionem tam facile admiſiſſe: qui tantam poſtea Religionis cauſa in D. Stephanum concivere tempeſtatem. Neque patrocinari videntur Cl. Auctori illa S. Stephani ad filium Emericum verba monito VIII. *grave tibi eſt hujus climatis tenere Regnum, niſi imitator conſuetudinis ante regnantium exſtiteris Regum.* Etſi enim plurali utatur numero, niſi tamen fallor, ſe unum hic imitandum proponit, mox enim ſubdit: *Idcirco conſuetudines ſequere meas, ut inter tuos habearis præcipuus.* Adde monito V[I]. S. Stephanum nulla facta Geiſæ Patris mentione ſibi uni Monarchiæ conſtitutionem tribuere. Cum ait: *Si enim tu deſtruere, quod ego ædificavi, aut diſſipare, quod congregavi, ſtuduetis - - - - detrimentum tuum patietur Regnum.* Denique novæ huic opinioni ſemper obſtabit conſtans Hungarorum diplomatibus, actis publicis, & ſcriptorum conſenſione roborata opinio, quæ D. Stephanum *Primicerium* (ſic enim illum in Diplomate Agrienſi Epiſcopo dato

CAROLUS rem tradunt Emericum e Comitibus Eſzterházy de Galantha tum Veſprimienſium Epiſcopum, biennio poſt Strigonienſem Archi-Epiſcopum: cujus acri, rectoque judicio multum Cæſar deferebat. Itaque iisdem in Comitiis Senatus hujus, quod *Conſilium Regium locumtenentiale* dictum eſt, idea deſcripta fuit. Conſtituti e Prælatis, Magnatibus, & Nobilibus duo ſupra viginti, ex omnibus Regni partibus delecti, qui Palatino, aut Judice Curiæ Præſide, Regi ſuo in dirigenda Republica Hungarica a conſiliis eſſent: permiſſum adhæc, ut Juniores etiam ſine voto, & ſalario; obſtricti tamen juramento, ad eundem Senatum experientiæ cauſa admitti poſſint. Conſilio huic ne ſua deeſſet auctoritas, decretum; ut a nullo alio dicaſterio aulico, ſed a ſolo Rege dependeat, ſententias aut re-

præ-

---

dato Bela IV. appellat) Hungarorum Regem, & novæ apud Hungaros, Geiſæ primum Patris induſtria, dein Religionis ſacroſanctæ placitis manſuefactos, Monarchiæ Conditorem facit, quam, niſi luce meridiana clariora in contrarium adducantur argumenta, citra temeritatis notam repudiare non poſſumus.

[redacted]

præſentationes; ſuas ſuæ Majeſtati ſcripto porrigat, & reſponſa pariter, prout opus erit, ſcripto accipiat; non modo nihil adverſum leges patrias definiat, verum etiam Comitiorum decreta per eos, quorum intererit, effectui dari procuret: quæ ſemel plurium votis in Senatu hoc decreta eſſent, nemini immutare liceat. Conſiliariorum deinceps nominandorum poteſtas uni Regi relicta, ceteros autem, ut ſunt Regiſtratores, rationum Exactores, Expeditores, & reliquos, quos ſubalternos vocant, conſtituere Conſilii arbitrio permiſſum. Porro ſtatuerat Cæſar, ut venerandus iſte Patrum Patriæ Senatus Budam ad Regni medium collocaretur; donec tamen illic opportunitas tot hoſpitibus capiendis pararetur, Poſonii interim ſubſiſtere juſſus fuit. En quam belle D. Stephanum Regni Hungarici Conditorem imitatus Carolus, ejusdem feliciſſimus Reparator!

Quibus legibus res militaris temperata?

XXII. Judiciis, æque politica in meliorem formam redacta unum ſupererat Cæſari, ut rem militarem opportunis limitibus

CAROLUS tibus circumſcriberet. Non una vice olim in Comitiis conqueſti fuere Hungari, multis, gravibusque ſe injuriis per militares præfectos, & gregarios etiam affici: illi enim præterquam quod inſolitis tributis incolas divexaverint, multa locorum beneficia, puta: agros, prata, telonia, molendina &c. in ſuos uſus converterant: gregarius autem miles, ſive in pagis per hiberna; ſive in Urbibus præſidio collocatus, quidquid ad vitam non jam commode, ſed luxurioſe traducendam placuerat, avare extorquebat, ac ſi negaretur, rapiebat impune: his accedebant quotidianæ contumeliæ, verberationes non plebeis ſolum, verum etiam Nobilibus illatæ. Leopoldus Cæſar crebro de militis ſui inſolentia admonitus, non omittebat ſeveriſſima ad Duces, Tribunosque mandata expedire, ſed quæ, flagrante bello Hungarico, cum militis fide, & conſtantia maxime opus erat, effectui dari non poterant: ne, ſi aſperis ageretur, efferatus miles, ut ſæpius factum, centuriatim ad hoſtem tranſiret. Sed nempe mali tanti feliciter ſublati gloria ſervabatur

æquiſſi-

æquiſſimo Cæſari Carolo: is enim, ut erat juſtitiæ cultor eximius, ubi querimonias veritate niti comperiſſet, his adhuc Comitiis ſanxit, ut beneficia, quæ Regalia dicimus, quocunque nomine ad eum diem poſſeſſa, munitorum locorum Præfecti militares ſeu Commendantes dimitterent illico, ac nequid eis ea propter damni eſſet, ſtabilita ex ærario decrevit ſtipendia, quæ ad vitam pro dignitate traducendam ſufficerent A). Pollicitus præterea fuit Cæſar, ſe terminatis Comitiis modum, rationemque deſcripturum, ut coercita opportunis limitibus militum licentia, inveteratæ querimoniæ finis imponeretur. Nec ſecus præſtitit. Vocato in conſilium Eugenio Duce, aliquot annorum intervallo ſyſtema militare elaboratum fuit, atque VI. Aprilis An. MDCCXXX. B) per univerſum Regnum promulgatum. Cætera inter conſtitutum, ut donec militares domus, quas *Caſarmas* vulgo dicunt, ſingulis in Comitatibus ere- CAROLUS

A) Artic. XXI.
B) Exſtat in Codice Juris Patrii.

CAROLUS ctæ fuerint; Præfecti militares, cujuscunque dignitatis, & ſtirpis ruſticorum domibus ſibi per Comitatum aſſignatis contenti ſint; neque auctoritate ſua ſtationem de loco in locum transferre, minus Nobilium Caſtella, Curias, Parochias, Scholas, Telonia &c. pro habitatione ſua deligere audeant. Definita ſingulis ſtipendia, & hoſpitum officia, lignorum item, ſeni, avenæ, & ceterarum rerum neceſſariarum quantitas, quæ, ut ante factum, ære a colonis redimere nefas eſſet. Vetita, invitis ſilvarum Dominis, ſtrepera venatio, & his conſimilia. Idem præter diſciplinæ militaris rigorem cum proportione de gregario milite diſpoſitum, atque ita; ut ſi poſtea miles cujuſcunque ordinis plus; quam a Cæſare permiſſum erat, extorſiſſe coram Magiſtratu Comitatus convictus eſſet: illatum damnum ære compenſaret. Atque his, aliisque legibus circumſcripta militum licentia, Regni ſecuritati, tranquillitatique proſpectum: adeo ut intolerabile illud prius militiæ in Regno alendæ onus, non modo facilius redditum ſit; verum etiam cum

æra-

CAROLUS.

ærario, tum ruricolis utiliſſimum ſit effe-ctum: quod non jam ſola pecunia, ſed fructibus ſuis tributum poſſint dependere. Ut autem ſtipendiorum e vectigalibus in milites diſtribuendorum ratio recto procederet ordine, inſtituti ſunt in quatuor Regni plagis Commiſſarii, quos Provinciales vocant: quibus præpoſitus Director unus e Magnatibus additis Conſiliariis A).

Quid actum præterea?

XXIII. Tantæ res, ut erat Conſilii Regii Locumtenentialis, Tabularum Judicialium ſuis cum ſalariis inſtitutio, ſuam habere non poterant ſtabilitatem, niſi ærario Regio abunde provideretur. Sed quoniam Regni proventibus nondum ſatis exploratis difficilius erat intra Comitiorum tempus certi aliquid ſtatuere, tricesimarum ſolum, & teloniorum ratio deſcripta fuit, juſſaque Camera Regia porro cum Vienneni aulica correſpondere; dum Cæſar matura deliberatione præmiſſa congruas illi leges, inſtructionesque transmitteret, quibus cuncta ad

A) Vide Artic. C. ibid.

CAROLUS ad debitum ordinem reducerentur. Atque hæc fere, quis enim omnia recenſeat, in laudatis Comitiis incredibili Ordinum omnium conſenſione conſtituta ſunt, quæ quidem omnium maxime idonea erant, ad Regni Hungarici gloriam, & felicitatem promovendam. verum quia & Cæſar, & Ordines Regni optime perſpectum habuere, ad ſalutem Reipublicæ minime ſufficere humanæ prudentiæ adminicula; niſi Dei regnorum ſupremi Moderatoris, & fontis bonorum omnium favore, & auxilio adjuvarentur, ut qui ea, quæ ab hominibus ſapienter proponuntur, ſapientius diſponere norit; idcirco Divorum Regum Hungariæ exemplo ceptis, inſtitutisque ſuis cæleſtem benedictionem procurandam cenſuere: quem in finem: lege ſancitum, ut Ordines Religioſi ſive his Comitiis A), ſive alias quocun-

A) Recepti tum erant in Regnum ſequentes Cruciferi Hoſpitalarii cum rubra ſtella, PP. Capucini. Fratres Miſericordiæ. Servitæ. Carmelitæ calceati & diſcalceati, Paulani, ac denique Societas Virginum S. Urſulæ.

cunque tempore cooptati, quocunque nomine inſigniti, in ſignum gratitudinis, & pietatis „ſinguli duodecim ſacroſanctæ Miſ„ſæ Sacrificia pro ſuæ Majeſtatis ſacratiſſi„mæ, & ſucceſſorum Hungariæ Regum, „Regnique hujus Apoſtolici incolumitate, „incremento & proſperitate ſingulis annis, „& in perpetuum dicere & celebrare; „Moniales autem celebrari facere tenean„tur A).„ Provide ſane iſtud: quis enim repetitis toties ſacrificiis Divinam placari Nemeſim, totique genti propitiam reddi, niſi inſanus, in dubium revocet? Quis item non cenſeat digniſſimum, ut pro illius Regis, cujus gratia, & illius Regni, cujus beneficio vitam tolerant, Divinum Numen deprecentur?

Quæ inde in Rempublicam commoda?

XXIV. Soluto celeberrimo hoc Conventu, poſtquam ea, quæ ſapienter inſtituta ſunt, in uſum deduci cepere, novam mox Hungaria, eamque meliorem formam induit. Sublatis veterum odiorum, & ſe-

 ceſſio-

A) Verba ſunt Artic. XCVI.

ſcuti per tot
tes , ſummaq
dio diſcrimi. R
dia labefactata
nem , ſtatdes
rigi , omnia d
viſcere. Creſc
eum in aula P
matie , qui per
theatra diſtribut
ſapientiæ ac vi
cum antea nulla
monſtrandi habu
tus Hungarica nc
rolo inſtitutis , la
propoſita ...

hodie exteris ipſis admirationem movent, ſurrexere Hungariæ columina. Sic tum reflorefcentis Hungariæ imago Caroli auctoris ſui animum præcipua afficiebat lætitia; qui tam brevi tempore curarum ſuarum fructus uberrimos legebat: gaudebatque id ab ſe ſincera moderataque agendi ratione tam facili negotio perfectum, quod majores ſui quantavis adhibita vi, atque potentia efficere non poterant. Hic cum eſſet rerum Hungaricarum ſtatus, ut ſuam in gentem Hungaram propenſionem, exiſtimationemque declararet Carolus, demortuo tum forte Nicolao e Comitibus Pálffi ab Erdőd Regni Hungariæ Palatino, Sereniſſimum Lotharingiæ, & Hetruriæ Ducem Franciſcum, Hungaris Locumtenentem, Conſilio Regio Poſonienſi Præſidem dedit; ut qui nobiliſſimæ, quæ unquam fuit, Sponſæ Mariæ Thereſiæ tot Provinciarum Hæredis ſponſus deſignatus erat a), in tranquilla, CAROLUS

Ff 5 opti-

a) Digniſſimus ſane hoc connubio Cæſari viſus fuit Franciſcus, cum ob inſignia Avorum ſuorum in domum

CAROLUS optimiſque legibus inſtaurata Hungariæ Republica, ſe Moderatore difficillimam gubernandi artem condiſceret. Quo in munere eum

domum Auſtriacam merita, tum vero ob' generis ſplendorem, & antiquitatem præcipuis Europæ Regum familiis parem: nam ut primas ſereniſſimæ Domus Lotharingicæ origines, ac cum ipſa domo Habsburgica nexum prætercam, jam inde ab An. C. MXLVIII. Sereniſſima hæc Domus Lotharingis hæreditario jure præfuit, ſanguinis, affinitatis, & fœderum communione maximis Cæſaribus & Regibus copulata, ut videre eſt in Excell. ac Erudit. Comitis Cronbergii ſpecimine Progonologico Genealogico AUG. Domus Habsburgo-Lotharingicæ, quod anno ſuperiore auctum edidimus. De origine & geſtis Ducum Lotharingiæ poſt alios lege Doctiſſimi Calmeti Hiſtor. Lothar. Abregé de l'Hiſtoire Généalogique de la Maiſon de Lorraine rédigé pour ſervir al' exercice public ſur cette Maiſon fait dans la Grand' Salle de l'Univerſité de Pont à Mouſſon le 30. Janvier 1742., & didié a ſon Alteſſe Royale Madame Elizabeth Charlotte d'Orleans Ducheſſe Doüairiere de Lorraine & de Bar &c. Par Eugéne-Francois Marquis de Ligniville Rhetoricien, Penſionaire au Collége de la compagnie de Jeſus. Item Traité Hiſtorique & Critique ſur l'Origine & la Genealogie de la Maiſon de Lorraine a Berlin MDCCXI.

[redacted]

eum ſe probavit, ut non modo tanto ſocero dignus haberetur, verum etiam is, qui eidem aliquando in ſuprema Romani Imperii dignitate ſuccederet.

CAROLUS

XXV. Verum eam Cæſaris optimi lætitiam, & uberrimos diuturnæ in Hungaria pacis fructus intercepit poſtremum, atque illud fatale cum Turcis bellum, Ruſſorum cauſa ſuſceptum. Inierat cum ea gente arctiſſimum fœdus Cæſar jam An. MDCCXXVI. ut communes utrique haberent amicos, & hoſtes: hoc autem tempore Anno MDCCXXXVI. Turcæ variis de cauſis Ruſſos bello appetiere A). De hoc edoctus Cæſar litis componendæ arbitrium ſibi depoſcit, quod cum negaviſſent Turcæ, bellum in eos decretum fuit, infauſto

Unde ortum bellum Turcicum?

A) Cauſas ſimultatum, quæ Ruſſis interceſſere cum Porta Ottomanica, accurate deſcriptas lege in libro cui titulus: *La paix de Belgrade par M L'abbe Laugier*, item in *Memoires Hiſtoriques Politiques & Militaires ſur La Ruſſie depius l'année MDCC. XXVII. jusqu'a A.MDCCXLIV. par Le General de Mánſtein.*

, quæ diſſiſſima ...
ſar, de Duce c
fuit: quod nulli
verſo exercitui a
præfuiſſet. Uni
ſius Illyrici Banu
reſchallus, que
difficillimis rebus
Cæſarique major
verat. Eugenii
tribuendum ratus
ingratiis ſupremu
fert. Ille tametſi
id honoris perlibe
exemplo Futakin

[redacted]

CAROLUS

Qua fortuna geſtum?

XXVI. Poſtquam Pálffius hibernos menſes apparando bello omni cum diligentia impendiſſet, jamque militi tanti Ducis præſentia animato profectionem indicere oporteret, Cæſar, ut Pálffianæ gloriæ æmulorum interceſſionibus aliquid deferret, comutata repente voluntate, Pálffium revocat, Chriſtianoque exercitui Comitem Seckendorffium ſumma cum poteſtate præficit. Sic porro Viennenſem inter ac Petropolitanam aulam convenerat: ut quo tempore noſtri ad Danubium in Servia rem acturi erant, Ruſſi Moldaviam Walachiamque emenſi, ad Belgradum noſtro exercitui ſe conjungerent, mutuis poſtea viribus provinciarum olim ad S. Coronam Hungariæ ſpectantium poſſeſſione Ottomannos dejecturi. Et vero favit Ruſſis fortuna, Münichius enim copiarum Dux profligatis ubique hoſtibus Chocimio primum; tum Jaſſiorum Urbe expugnata, univerſam Moldaviam ſubjugaverat A). At enim

A) De Münichii ſucceſſibus poſt alios conſule cit. *Memoires ſur la Ruſſie par Le General de Manſtein ad An. MDCCXXXVII. & ſequentes.*

enim alia longe apud nos fortuna fuit, quæ nulli Ducum noſtrorum propitia eſſe voluit. Primus omnium Seckendorfius ſub æſtatis An. MDCCXXXVII. principium in caſtra delatus, copias continuo in hoſticum duxit; at infelici ſemper conatu: Niſſa quidem in noſtrorum venerat manus, ſed quam, quia non ſatis munita erat, Turcis iterum reſtituere oportuit. Mox clades una aliam conſecuta. Die IV. Auguſti ad Bányalukam in Bosnia cæſi Cæſarei: ad Viddinum Khevenhüllerus die XXVII. Septembris poſt acrem plurium horarum dimicationem hoſtium numero victus, & locum, & caſtra cedere coactus fuit. His præliis crevere Turcis animi adeo, ut noſtri in dies pellerentur, nec niſi ad Belgradi Mœnia conquieſcerent. Actum poſtea de pace, ſed quam Turcæ ſuperbe reſpuerant. Vezirius enim ex his initiis in ſpem recuperandæ Hungariæ erectus, Marchioni de Villanova Oratori Gallico, cui Carolus Cæſar totam pacis tractationem jam initio belli crediderat, clare edicit, nullam cum Cæſare Romanorum pacis ineun-

dæ

CAROLUS

dæ ſpem eſſe, eo quod Turcæ viribus ſuperiores plura bello; quam pace conſequi poſſent. Quia vero Vezirii animum læti Ruſſorum ſucceſſus non leviter angebant, in id clam incumbebat, ut compoſita cum his, etiam cum ditionum nonnullarum jactura pace, vires omnes ad oppugnandum Carolum Cæſarem liceret convertere. At enim Ruſſi fidem utilitati propriæ præhabentes ſeorſim cum Turcis tranſigere conſtanter detrectarunt, Carolumque Cæſarem ad continuandum bellum hortari non deſinebant. Itaque Cæſar reſumptis belli curis, revocato Seckendorffio, copiarum imperium Franciſco Lotharingiæ & jam Magno Hetruriæ Duci A) Genero ſuo, atque

A) Opportunum exiſtimo hic paucis adnotare, qua ratione Domus Lotharingica Hetruriam conſecuta ſit: An. MDCCXXXIII. cruentum Cæſarem inter Carolum VI. & Bourbonicam Domum exortum fuit bellum, Lotharingiæ & Italicarum ditionum cauſa: quod demum celeberrima pace Viennæ Anno M. DCCXXXVIII. die XVIII. Novembr. concluſa terminatum fuit. Conditiones fuere ſequentes: Neapolis

CAROLUS prope Semlinum ſita vires omnes contraxerat ad impedienda majora incommoda, bello infeliciter geſto finem imponere certus, habito prius cum ceteris Ducibus conſilio, durante Belgradi obſidione Vezirium per internuncios de pace interpellavit: a qua cum is ab Oratore Gallico tempeſtive conciliatus minime alienum declaraſſet animum, Comes Neupergius die XVIII. Auguſti ipſe in Turcica profectus eſt caſtra, arbitroque Marchione a Villanova Oratore Gallico Calendis Septembris pacem confecit A). Ea quidem pene fuit neceſſaria, quod militi Cæſareo tot cladibus attrito animi penitus conciderant; adhæc graſſantibus in exercitu morbis plures ſub tentoriis, quam hoſtium gladiis occumberent: denique fama erat jam tum a fœderatis adverſus ſanctionem pragmaticam bellum clam apparari cepiſſe: Cæſar tamen negavit ſe conſcio pacem illam compoſitam, adeoque tulit

A) Quibus artibus opera Oratoris Gallici pax hæc obtenta ſit, copioſe deſcribit Laugier in citato opuſculo *la Paix de Belgrade.*

tulit graviter præpropera Ducum ſuorum conſilia, ut alterum Brunam; Glatzium alterum in cuſtodiam relegarit A): Unde tamen uterque mortuo Cæſare dimiſſi, atque ad priſtinos honores ſunt reſtituti. Per eam pacem amiſſum Belgradum, prius tamen dimidia ſui parte ſolo æquatum cum omni Servia, Sabatſium item, & Valachia cum munitiſſima arce Orſova. Danubius & Savus Hungaricas inter, & Turcicas ditiones limes poſitus. Bosnia juxta veteres terminos; Temeſienſis item Regio tota relicta Carolo.

CAROLUS

XXVIII. Paci huic non diu ſuperſtes Carolus, reliquo vitæ tempore acerbiſſimis laterum doloribus excruciatus fuit: unde etiam vicinam mortem præſenſiſſe viſus, audito enim cariſſimi ſibi viri Patris Toennemann,

Quo ſuorum luctu ereptus Carolus?

A) Lege ſis Münichii Ruſſorum belli Ducis literas die XXV. Septembris An. MDCCXXXIX. ad Principem a Lobkovicz rei militaris in Transſilvania Præſidem datas, de pace Belgradenſi tractantes, apud Laudatum Manſtein in *Memoires ſur la Ruſſie* pag. 306.

CAROLUS

mann, quo multis annis a confeſſionibus utebatur obitu, familiaribus ſuis palam edixit, ſe brevi Confeſſario ſuo comitem fore. Ingraveſcente menſe Octobri morbo, Joannem Pálffium ad ſe accerſivit, ejusque fid[illegible] egnorum ſuorum hæred[illegible] HERESIAM, quam mox [illegible] tum iri tempeſtatibus præſ[illegible] in modum commendavit. [illegible] voluntates ſuas in ſcriptum referri j[illegible], ſolitisque morientium Religionibus ritu Catholico pie procuratus eſt. Poſtremum vitæ ſuæ diem, qui XIX. Octobris fuit, ferventiſſimis ad Deum precibus, atque monitis dilectæ ſibi filiæ dandis impendit; dum denique ad ultimum mentis compos, poſt mediam noctem inter ardentiſſimos virtutum Theologicarum actus intemeratam animam ad cœlum transmiſit, Viennæ An. MDCCXL. die XX. Octobris, ditionibus omnibus MARIÆ THERESIÆ filiæ ſuæ primogenitæ relictis A). Vixit annos

A) Sic olim Latinus Rex Italiæ, maſcula carens ſobo-

annos LV. dies XX. Præfuit Imperio Romano XXIX. Hiſpanico XXXV. Hungariæ, & Bohemiæ XXVIII. Quantus Auguſtam Conjugem, filias, A) univerſam familiam Cæſaream *, urbem & Provincias omnes luctus occuparit, facilius quisque ex jacturæ magnitudine intelliget, quam ut verbis poſſim deſcribere. In Hungaria CAROLUS

ſobole, Regnorum ſuorum hæredem reliquerat filiam unicam Laviniam, Æneæ Trojano, Romanæ poſtea gentis conditori nuptam, de quo eleganter pro more Virgilius Æneid. Lib. V.

Filius huic, fato Divum, prolesque virilis

Nulla fuit, primaque Oriens erepta juventa eſt;
Sola domum, & tantas ſervabat FILIA ſedes.

Quid his Carolo VI. quid MARIÆ THERESIÆ accommodatius ſcribi potuit?

A) Ex Conjuge Eliſabetha Chriſtina Ludovici Rudolphi Brunsvicenſis Wolfenp. filia duas reliquit filias MARIAM THERESIAM Provinciarum omnium hæredem, FRANCISCO Stephano Lotharingiæ, & Magno Hetruriæ Duci, poſtea Cæſari copulatam die XII. Februarii An. MDCCXXXVI. MARIAM ANNAM CAROLO Lotharingiæ Duci die XII. Januarii Anno MDCCXLIV. traditam; & eodem anno die XVI. Decembris extinctam.

CAROLUS

quidem nemo Antiſtitum, Magnatum, Ordinumque Regni fuit, qui non vulnus hoc toti Reipublicæ commune quam acerbiſſime ſentiret. Dolebant nempe ſibi ereptum Patrem optimum, cui vindicatam e ſervitut[illegible]uratam Rempublicam, red[illegible]nquillitatem, abſterſam ſolitu[illegible]a denique de integro conditam d[illegible]e agnoſcebant Hungariam, [illegible] Belam IV. nam ut hic inductum a Tartaris ſquallorem maximis ſuis curis, & laboribus abſterſit; ita Carolus duorum prope ſeculorum ſervitute oppreſſam, ac pene everſam Patriam non modo ab interitu revocavit, verum etiam ad veterem reduxit ſplendorem: eaque jecit futuræ felicitatis fundamenta, quæ ſubinde glorioſiſſima ejus filia MARIA THERESIA ad ſummum gloriæ apicem educeret.

Quibus enituit virtutibus?

XXIX. Ex iis, quæ ſparſim hactenus de Carolo commemoravimus pronum erit de inſigni ejus ſapientia, & virtute arbitrari. Pauca ſolum hic attingemus. Statura erat mediocri, colore ad fuſcum acce-

dente.

CAROLUS

dente. Vultui gratiam conciliabat mixta cum ſeveritate clementia.) Ad magnas res moliendas ei adjumento fuit acre & perſpicax ingenium, cum inſigni raraque in iis, quæ ſemel ſuſceperat, perficiendis induſtria, & labore conjunctum. Ut adeo, quod ipſe conſtituerat, quocunque in genere, elaboratum ſane, numerisque omnibus abſolutum eſſet, & perpetuam ſponderet ſtabilitatem A). Cum de communi ſubditorum bono agebatur, ſua lucra parvi pendebat; ſuos enim Parentis inſtar diligebat.

A) Præter univerſi Regiminis ſiſtema ſapientiſſime conſtitutum, huc pertinent publica ædificia, quæ Caroli magnificentiam oſtentant. Pars Aulæ Viennenſis, Schola Equeſtris; celeberrima ab artis præſtantia, librorum numero & pretio Palatina Vindobonenſis Bibliotheca. Superbæ ædes Divi Caroli Boromæi memoriæ ob peſtem ſublatam dicatæ. In Hungaria vero inſana illa moles rude donato militi invicto Peſtini erecta, in quam a Georgio Szécsényio Hungariæ Primate aliquot centena florenorum millia ſunt profuſa, viæ demum publicæ magnis ſumptibus per Auſtriacas ditiones, ac ipſam adeo Valachiam ad omnem commoditatem, & ſtabilitatem inſtitutæ.

CAROLUS

bat. Inſigni adverſus Deum fuit religione, ea, quæ Chriſtiani hominis fuere, officia accurate, & ſummo cum fervore peragere ſolitus. Denique animi excelſitate; in deligendis adminiſtris judicio; ſapientia [illegible] e in legibus ferendis; in rebu[illegible] ligentia; in recto ubivis ad[illegible] rdine, ac univerſis iis, quæ [illegible] m, populique Rectore[illegible] bernandi artibus deceſſores ſuos quam longiſſime ſuperavit. Ob quæ omnia in animis Hungarorum ære omni perennius monumentum conſecutus eſt, ut & crebro, & inſigni ſemper cum laude meminerint Caroli Regis ſui ex Auſtriaca ſtirpe poſtremi, factis autem facile primi.

GE-

Tabula V.

GENEALOGIA REG. HUNG. PERIODI III.

Ferdinandus III. Rex Hung. Boh. Rom. Imp. ✠ 1657.
Con. a Maria Anna Philippi III. Hiſp. Regis filia.
b Maria Leopoldina Leopoldi Archid. Tyrol. filia.
c Eleonora Caroli Mant. Ducis filia.

ex a Leopoldus M. R. Hung. Boh. Rom. Imp. ✠ 1705.
Con. c Eleonora Magdalena Neoburg. ✠ 1720.

ex c Eleonora Maria ✠ 1697. 17. Decemb.
Carolus V. *Victor* Dux Lotharing. & Barri ✠ Æniponti 1689. 18. Apr.

Joſephus I. Imp. vide Tab. IV.

Carolus III. Rex Hung. Boh. Hiſp. Rom. Imp. ✠ 1740. 20. Octob.
Con. Eliſabetha Chriſtina Ludov. Rud. Brunsv. Wolfenb. filia.

Leopoldus *Liberalis Pacificus* Dux Lothar. & Bar. ✠ 1729. 27. Martii.
Con. Eliſabet. Carol. Philippi Ducis Aurel. fratris Ludov. XIV. Gall. Reg. filia.

Carol. Joſ. Ign. Elect. Treviren. ✠ 1715.

Joſeph. Eman. ✠ 1705.

Franciſcus Antonius ✠ 1715.

MARIA THERESIA ═ FRANCISCUS Steph.
Apoſtol. Regina Hung. Boh. Archid. Auſtr. &c. Carol. VI. Hæres vi ſanctionis Pragmaticæ. — Con. Dux Lothar. & Bar. M. jux D. Hetrur. Rex Hieroſ. poſtea Rom. Imp.

ex feliciſſimo hoc conjugio proles vide Tab. VII.

Carol. Lothar. D. Gub. Belg. nat. 12. Dec. 1712. M. O. Teut. elect. 1761.
Con. Maria Anna Junior Soror Mariæ Ther.

Eliſabetha Thereſia ✠ 1741.
Carolus Emman. Rex Sardiniæ.

Anna Carolina nat. 17. Maji 1714. Abbatiſſa Mont. Hanneg. ab A. 1754.

MARIA THERESIA
REX XLIX. ROM. IMP.
A. C. MDCCXL.

MARIA THERES.

Quam lætis auſpiciis ad Regnum acceſſit ?

I.

REgnum MARIÆ THERESIÆ AUGUSTÆ Hungarorum REGINÆ APOSTOLICÆ ingredienti mihi longa ſe objicit ſeries rerum, quæ ſub clementiſſimo illius imperio, ad perpetuam ſubditarum gentium felicitatem cum immortali illius gloria conjunctam, & bello, & pace acciderunt. Cuncta hæc ob multiplicem copiam, atque varietatem nec ſtrictim a me recenſeri; minus autem pro dignitate deſcribi poſſe jam nunc ſentio: cujus enim calamus in adumbranda tantæ DOMINÆ magnitudine non fatiſcat? Nam cum inſignes ſanctiſſimorum Hungariæ Regum virtutes, raræque regendi dotes in eam cum ſanguine tranſierint A), quidquid magnum atque

A) MARIAM THERESIAM ex Arpadiano Regum

MARIA THERES.

atque excellens in illorum geſtis admiramur, fideliſſima ſane imitatione ita in ſe expreſſit, ut quam plurimos e Divis Deceſſoribus ſuis factorum gloria; felicitate autem pene omnes anteceſſerit. Aliorum ante eam Regum optimis in commune bonum conſiliis perpetua domi foriſque bella obſtitere, ſiniſtro fere ſucceſſu geſta; de aliorum gloria multum & temporum iniquitas, & hominum improbitas detraxit; aliis denique, poſtquam ſecundiſſimis uſi ſucceſſibus ad ſummum fortunæ apicem rem Hungaricam eduxerant, illud ſaltem ad abſolutam defuit felicitatem, quod ſobole carerent, quam non gloriæ minus; quam regnorum hæredem inſtituerent; id quod D. Stephano I. Regi, Ludovico Magno, & Mathiæ Corvino accidiſſe meminimus. MARIA THERESIA & bella ſane quam difficillima glorioſe terminavit, & pace

gum Hungariæ ſanguine ortum ducere certius eſt, quam ut probari neceſſe ſit: ut Genealog. Tabellam VI. ſecundis curis accuratius elaboratam inſpicienti patet.

MARIA THERES.

pace tanta ad communem ſalutem perfecit; quanta majores ſui ne ſperare quidem poterant; atque ita egit, ut omnem apud ſuos, quod paucis ſane Principibus conceſſum eſt, invidiam evitarit, tam enim ſinceris ſuorum ſemper diligitur voluntatibus, ut neminem unquam diuturni illius regiminis ſatietas ceperit. Quid autem illi ad felicitatis cumulum deeſſe putandum eſt, in numeroſa illa Auguſtæ ſobolis, cunctisque ab Auctore naturæ gratiis inſtructæ corona? per quam non domi modo pientiſſimæ Matris virtutes perennabunt, verum etiam ad exterorum Principum familias propagabuntur.

Quando coronata?

II. Tantam igitur fore aliquando MARIAM THERESIAM cum certo confiderent Hungari, adeo eos admiſſæ ſucceſſionis fœmininæ non pœnituit, ut mox a Caroli Cæſaris exceſſu dignam Magno Parente filiam, avitarumque Provinciarum hæredem Sacro Regni Hungarici Diademate exornare peroptarint. At enim calentiſſima gentis univerſæ vota cum aliis de cauſis;

ſis; tum vero ob tempus auſpicatiſſimo partui vicinum differenda erant: quo demum proſpere levata, medias inter belli contra ſe ubique concitati tempeſtates orbi dedit JOSEPHUM, quem jam nunc hujus nominis II. Imperatorem veneramur. Optatiſſimo hærede in ipſo Regni aditu aucta fœcunda Mater, implenda denique putavit cariſſimæ ſibi gentis deſideria. Igitur ad diem XXIV. Maji An. MDCCXLI. Ordines Regni Poſonium convenire jubet. Adfuere illi non viſa multis retro temporibus frequentia & ſplendore, Sereniſſimæ Reginæ ſuæ ocyus videndæ cupiditate flagrantes. Quis hic Hungarorum lætitiam, quis plauſus explicet? ſive cum venientem primum ſalutavere; ſive cum Auguſto illius vertici S. Diadema die XXV. Junii ab Emerico S. R. I. Principe e Com. Eſzterházi de Galantha Regni Primate imponi aſpexere A). Per idem Comitiorum tempus

A) Editum ea occaſione. Diploma Regium & jurisjurandi forma, qua Bullæ aureæ Artic. XXXI. diſer-

MARIA THERES.

THERESIA ad ſe devolutam eſſe conten-debat. Huic acceſſit Carolus Palatinus Rheni, Auguſtus II. Poloniæ Rex, Elector Saxoniæ, Philippus V. Andegavenſis Hiſpaniæ: Carolus Emmanuel Sardiniæ Reges. conatus adjuvit Ludovicus n Rex, quatuor juſtis exer ıdus. Porro his omnibus una belli cauſa fuit: quoniam rgica Domus in Carolo VI. defierat, am liſſimas MARIÆ THERESIÆ hæreditates armis invadere, ac inter ſe partiri cupiebant, ut quisque aut ſan-

mentum hoc nil MARIÆ THERESIÆ obeſſe potuiſſe, publicis litterarum monumentis ſolide mox reſponſum fuit. Ac ut de Hungaria ſola hic aliquid attingam, ſcire Bavaros oportebat, Hungaros diu poſt Ferdinandum in ſtirpe Auſtriaca electionis jure uſos, nec niſi ſub Leopoldo Cæſare An. MDC. LXXXVII. viris hæreditario ſe jure ſubjeciſſe. His deficientibus, cum ſuccedendi jura ad fœminas unanimi conſenſione extenderunt, primam omnium MARIAM THERESIAM, & illius poſteros Regno Hungarico admotos voluere. Unde clarum fit nemini omnium præter MARIAM THERESIAM in S. Coronæ Hungaricæ ditiones jus fuiſſe.

MARIA THERES.

& Sereniſſimæ Reginæ gaudio eſt collata: ad cujus viri gloriam immortalem vel illud ſatis eſt, quod exulantem diu tranquillitatem in Patriam revocaverit, ut in Joſephi I. Regis geſtis explicavimus.

Quanto mox objecta diſcrimini?

III. Auſpicatiſſimæ inaugurationis lætitiam non mediocriter temperavit funeſtus ille, in quo res MARIÆ THERESIÆ tum verſabantur, ſtatus. Ut primum enim Caroli VI. mortis fama divulgata eſt, univerſa continuo Europa ad evertendam ſanctionem pragmaticam conſpiravit. Primus belli ſignum ſuſtulit Fridericus Rex Boruſſiæ, Elector Brandeburgicus, tum Carolus Bavariæ Dux, & mox hujus nominis VII. Rom. Imperator, qui cum alias ditiones; tum vero Hungariam A) excluſa MARIA THE-

A) Urgebat rem Bavarus ex teſtamento Ferdinandi I. Hung. Regis An. MDXLIII. Calendis Junii ſignato, quo ſtatutum fuit, ut virilis ſtirpis Auſtriacæ poſteris ſublatis, præter alias ditiones Hungaria etiam ad Annam filiam Alberto V. Bavariæ Duci nuptam illiusve hæredes devolveretur; verum teſtamen-

[illegible]

[illegible] discrimine, in quo verſabatur, magnanimitati, Hungaricæ gentis fidei & virtuti ſe, conjugem, ſobolem, univerſasque Provincias ſuas majorem in modum commendavit. Hungari, opportunum adfuiſſe tempus adveniſſe rati, quo fidem ſuam in principem ſuam orbi universo teſtatam facerent, motu quodam veluti igne percitu, unanimi voce ſe vitam ſanguinemque pro MARIA THERESIA quam libentiſſime profuſuros dixerunt. Ne autem verba ſolum dediſſe viderentur, continuo de comparandis exercitibus deliberatum fuit. Itaque a ſingulis portis miles imperatus, qui XXI. mille, DCXXII. pedites efficiebat, unde VI. novæ Legiones poſtea inſtitutæ ſunt a). Deſcri-

---

a) Juvat hic eorum nomina recenſere, qui novarum Legionum Auctores fuere. Peditum Adamus Nicolaus L. B. Andráſſi. Wolfgangus C. Bethlen. Ignatius C. Forgáts. Samuel L. B. Haller, Thomas Szirmai. B. Uivari. Quibus adjecere novas equeſtres Legiones Paulus Antonius S. R. Imp. Princeps Eſzterházi, Joannes Beleznai, Antonius Com. Kálnoky.

MARIA THERES.

ſcripta deinde Nobilibus inſurgendi, equitisque cogendi ratio. Quæ omnia ut eo celerius accuratiusque perfici poſſent, quatuor viri nominati bellica laude inſignes a), qui in totidem Regni partibus colligendo, armisque exercendo tironi militi præeſſent. Neque tamen amplo hoc ſubſidio ſua in MARIAM THERESIAM ſtudia abſolvi voluere Hungari, propalam non una vice profeſſi, ſi ad hoſtes e Bohemia, Auſtria, Moravia, ceterisque Provinciis ejiciendos definitus hic copiarum Hungaricarum numerus minime ſufficeret, nova mox conſcriptum iri ſupplementa; ac ſi neque his quidquam proficeretur, cunctos ſe ad extremum viritim ad arma convolaturos; quæ inſurgendi ratio raro admodum, ac tum fere, cum hoſtis in viſcera patriæ irrupe-

a) Erant hi: Joſephus C. Eſzterházy Judex Curiæ, Campi Mareſchallus in Regione ultradanubiana: in Cisdanubiana Franciſcus Com. Eſzterházy Agazon. Reg. Generalis Equitatus Magiſter. Cistibiſcum C. Georgius Cháky Campi Mareſchallus; Transtibiſcum C. Alexander Károly Campi Mareſchallus; omnes rebus bello geſtis clariſſimi.

MARIA THERES. rat, ad aras & focos tuendos a Majoribus noſtris adhiberi ſolebat. Ne autem tanto militi alendo nervus deeſſet, ampliſſima vectigalia per univerſas Regni Provincias imperata ſunt, præter liberalia pecuniæ ſubſidia, quæ potentiores Hungarorum in uſus belli gratuito obtulere. Fuit illa tum etiam præclara Nobilitatis Hungaricæ vox audita; ſi omnes ærarii publici fontes belli diuturnitas exhauriret, non recuſaturos ſingulos, quidquid auri argentique proprii domi eſſet, in commune conferre, ut pecunia inde conflaretur. Hunc in modum Reginæ ſuæ amore flagrantes Hungarorum animos paulo vehementius inflammavit JOSEPHI filii ſemeſtre vix egreſſi præſentia, quem Regina Mater die XIX. Septembris ejusdem anni Poſonium deferri juſſerat, ut cariſſimam ſibi gentem intimi ſui ex optatiſſimo hærede ſolatii redderet participem. Lætiſſimus elegantiſſimi Puſionis Principis, futuri aliquando Domini conſpectus, quanta ſingulos Regni Ordines voluptate compleverit, ii qui tum præſentes aderant, etiamnum cum gaudio meminerunt.

V. Tam.

MARIA THERES.

Quam opportune apparatum bellum?

V. Tam incenſis ſtudiis cum omnia in Comitiis pro ſe decerni videret MARIA THERESIA, non mirum eſt, illam præcipuas ſuas ſpes in Hungaris collocaſſe. Optimæ Principis expectationi eventus quam cumulatiſſime reſpondit. Ut primum Comitiorum decreta per univerſum Regnum promulgata ſunt, quaſi ardor ille Patrum ad ſingulos propagatus tranſiſſet, continuo tota Hungaria ſuis e ſedibus moveri, novis militum delectibus fervere omnia, quotquot armorum capaces erant, ſponte ſe Ducibus ſiſtere, ac ut ad tam honorificam expeditionem admitterentur, rogare: qua concurſatione id brevi effectum, ut non jam paucitate; ſed numero laboraretur, multosque invitos & triſtes domum relegare neceſſe fuerit, qui ultra præſtitutum numerum confluxerant. Denique juſtus omnino exercitus ex Hungaria, Illyrico, & Transſilvania paucorum menſium ſpatio conflatus fuit, quo quidem adeo Reginæ noſtræ vires increverant, ut non jam ſuſtinendo ſolum bello, verum etiam propulſando par videretur. Provide ſane

MARIA THERES.

hæc omnia tempori conſtituta ſunt, quod hoſtes interea nemine reſiſtente progreſſi, ad ipſa Provinciarum hæreditariarum viſcera penetraverant. Boruſſi noſtris copiis uno prælio profligatis, univerſam pene Sileſiam in poteſtatem redegerant: Gallis, & Saxonibus in B , occupata Pragenſi urbe, embris Anno MDCC. XLI. ibidem inauguratus fuit. Gallo cus exercitus ad Lincium ſuperioris Auſtriæ urbem conſedit, quotidianisque procurſionibus ad Viennæ usque mœnia terrorem ſparſit. Quam urbem Hungarico Illyricoque milite egregie ad defenſionem comparatam, unitis viribus haud dubie fœderati hoſtes oppugnaturi erant; niſi univerſam pene Hungariam contra ſe armari præter ſpem intellexiſſent. In Italia denique ob copiarum noſtrarum paucitatem maximas Hiſpani, & Sabaudi fecere progreſſiones.

Quo ſucceſſu geſtum?

VI. Hoc igitur loco res hoſtium erant, cum Hungari pro Reginæ ſuæ juribus tu-

endis

MARIA THERES.

endis pugnaturi An. MDCCXLII. in campum prodiere. Bellum continuo multiplex ac difficile exarſit, pro hoſtium quippe numero, pluribus & locis, & exercitibus rem geri oportuit. Cum Boruſſis non diu certatum eſt; Fridericus enim Rex, poſt reportatum ad Chaslaviam triumphum ſibi minime incruentum, eodem adhuc anno die XXVIII. Julii Wratislaviæ pacem inierat; hanc autem poſtquam biennio poſt nobis nil tale ominantibus ad Carolum VII. Cæſarem a MARIA THERESIA victum profligatumque adjuvandum abrupit, minime faventem experti ſumus fortunam ad pacem usque, An. MDCCXLV. qua Sileſiam & Glacenſem Comitatum victori ceſſimus A). Contra ceteros fœderatos hoſtes felicius multo res acta Carolo Lotharingo

A) Cauſas multiplicis hujus belli, Aularum, miniſtrorumve ſcripta, ac denique pacis initæ conditiones legere licet in Opere cui titulus: *Recueil hiſtorique d'actes, Negotiations, memoires & traites depuis la paix d'Utrecht jusqu' a préſent par. M. Rouſſet*, Tomo XIV. & ſequentibus.

MARIA THERES.

ringo Duce. Victis profligatisque e Bohemia Gallo-Bavaris, Regnum illud MARIÆ THERESIÆ dominatui aſſertum, ut adeo illa die XII. Maji Anno MDCCXLIII. ingenti bonorum omnium lætitia & plauſu conſueta Regni inſignia Pragæ ſuſceperit A). Multo jam ante Auſtria omnis ab hoſtibus liberata fuit. Promoto ſubinde bello, Bavaria tota una cum Palatinatu Rheni armis expugnata, in victricis MARIÆ THERESIÆ ditionem conceſſit: tum obſiſtentibus nequidquam Gallis, Franciſci Comitis de Nádasd virtute & induſtria traductæ per Rhenum copiæ Auſtriacæ, cum ſolis deinceps Gallis in Belgio negotium habuere. Geſtum illic deinceps bellum Duce Carolo Comite de Battyán hodie S. R. Imp. Principe non ſine ingenti nominis Hungarici iis in Regionibus parum ad eum diem cogniti gloria. Hic cum eſſet armorum noſtro-

A) Inaugurationis lætitiam auxit nuncius de inſigni ad Braunaviam contra Bavaros Franciſco Com. Nádasdio Duce reportata victoria; capto ipſo hoſtium copiarum Ductore Comite Minucio.

[library stamp] ...TEA DE DREPT ... SEMINARUL DE FILOLOGIA ... ȘI ... OLOGIE ... J

MARIA THERES.

ſtrorum ſucceſſus, ſenſim fœdetati hoſtes ad pacis conſilia animos traduxere. Primus omnium cum MARIA THERESIA in gratiam rediit Auguſtus Rex Poloniæ, utilemque nobis poſtea reliquo belli tempore navavit operam. Hujus exemplum paulo ſerius ſecutus fuit Maximilianus Elector Bavariæ, poſtquam Patrem ſuum Carolum VII. Rom. Imperatorem medios inter infauſti ſibi belli tumultus ereptum luxit A). In hunc autem adeo facili & liberali fuit MARIA THERESIA animo, ut ditiones illi omnes, quas armorum jure ceperat, ſine mora reſtituerit. Porro mors Caroli VII. Cæſaris illud etiam peperit commodi, ut Imperii Electores Francofurti congregati, FRANCISCUM Lotharingum victricis Hungariæ Reginæ conjugem ad ſupremam Romani Imperatoris dignitatem communi

A) Carolus hujus nominis VII. Romanorum Imperator, electus die XXIV. Januarii Anno M. DCCXLII. poſuit imperium & vitam die XX. Jan. An. MDCCXLV. Ejus res geſtas vide in vita illius germanice ſcripta, & apud Deſingium Bavarum Scriptorem in auxiliis hiſtoricis.

MARIA THERES.

fere conſpiratione evexerint. Ubi etiam ille die IV. Octobris An. MDCCXLV. auguſtum diadema MARIA THERESIA præſente ſuſcepit. Fauſtiſſimæ huic inaugurationi poſtquam Elector Brandeburgicus, & I ti [illegible] acta ſub ejuſdem anni exit [illegible] ripſiſſent, bellum in Gerr [illegible] conquievit. In Belgio cum [illegible] lia cum Hiſpanis, Sabau [illegible] obis acceſſerat, biennio adhuc integro varia fortuna decertatum fuit: dum denique tradita Philippo Bourbonio Hiſpaniæ Infanti Parma, Placentia, & Quaſtalla, reſervato tamen Auſtriacis ſuccedendi aliquando jure, pax coaluit An. MDCCXLVIII. Ex eo tempore intimam cum Domo Bourbonica, ceteriſque olim hoſtibus noſtris coluimus amicitiam; cum Friderico autem Boruſſiæ Rege rurſus, ſed paulo ſerius graviſſimo bello impliciti fuimus A), quod hic fuſius deſcribere & ab in-

A) Erupit hoc bellum An. MDCCLVI. variaque fortuna geſtum eſt: geminas præ ceteris memorabiles

inſtituto noſtro alienum eſt, & plane ſu- pervacaneum in tanta monumentorum de- MARIA THERES.
hoc

---

les accepimus clades : alteram ad Pragam : ad Liſſam in Sileſia alteram. Sed enim jacturam hanc ſarſerunt multiplices de Boruſſis victoriæ, puta : A. MDCCLVII. die XVIII. Junii ad vicum Chocemitz, ubi Daunii Comitis & C. Nádasdii virtute victus Rex ipſe, continuo Pragæ obſidionem ſolvere, ac a Bohemia diſcedere coactus fuit. Mox Nádasdius cum copiarum parte præmiſſus cæſo ad Moys Vintersfeldio, expugnato feliciter Schwaidnitzio, profligatis ad Wratislaviam hoſtibus, urbe hac Sileſiæ principe potitus fuit : lætiſſimas has progreſſiones intercepit clades Liſſenſis. An. MDCCLVIII. Rex Olomucium obſidens magna per Laudonium & Siskovitſium clade affectus receſſit: tum XIV. Octobris ad Hochkircham cum X. millium cæde a Daunio Belliduce profligatus eſt. An. MDCCLIX. die XII. Aug. a Ruſſis ſuppetias ferente Laudonio Rex victus Dresdam noſtris reſtituit. XX. Novemb. comiſſo ad Maxen prælio Daunius victor Finkium cum IX. Chiliarchis & XIII. hoſtium millibus cepit. An. MDCCLX. invincibiles ad Landshutum hoſtium montes expugnati, Dux ipſe Fouquetius amiſſo exercitu, in victorum venit manus. Die III. Novembris ad Torgaviam Daunius vicerat, verum victoria e manibus noſtris iterum erepta fuit. An. M.
DCCLXI.

MARIA THERES.

hoc editorum copia. Sat eſt dixiſſe, bello hoc maxime declaratam militum, Ducumque noſtrorum virtutem heroicam, adeo ut ad eam præmiandam Auguſta Domina noſtra celeberrimum Ordinem Thereſianum inſtit [illegible]

Quam glorioſo exitu terminatum?

[illegible] n ſuperius compendio retulimus [illegible] eralis illa tempeſtas, quæ [illegible] ordio certiſſimum portendere [illegible] exitium, non ſine immortali MARIÆ THERESIÆ gloria diſſipata

DCCLXI. id omnium maxime memorabile accidit, quod Laudonius Schwaidnitzium ſcalarum ope IV. horarum ſpatio expugnarit. Denique An. MDCCLXIII. Hubertoburgi die XV. Febr. pax coaluit, ea lege, ut quod quis bello ceperat, reſtitueret.

a) Ordo militaris Equitum MARIÆ THERESIÆ inſtitutus fuit poſt illuſtrem victoriam de Friderico Rege Boruſſiæ ad Chocemitz A. MDCCLVII. die XVIII. Junii reportatam. Primi omnium in Ordinem hunc cooptati, majorique cruce donati ſunt, Leopoldus Comes a Daun, Franciſcus C. de Nádasd, Andreas C. Hadik: poſt hos ſubinde alii quam plurimi, qui bello hoc inclaruere.

pata fuit. Neque enim ſolum pleræque ditiones ex hoſtium manibus vindicatæ ſunt, verum etiam feliciter impetratum, ut ſinguli ſanctioni pragmaticæ, quæ ſola belli cauſa fuit, haud gravate ſubſcripſerint. Quapropter tametſi & Sileſiæ, & aliarum ſive in Belgio, ſive in Italia urbium & terrarum pace amiſſarum jactura non parvi facienda ſit; ſi tamen tot potentiſſimorum hoſtium in unius Reginæ ſola Anglorum & Hollandorum ſocietate adjutæ perniciem conjuratorum vires, & periculi, quod principio apparebat, magnitudinem ſpectemus, tuto pronunciari poterit, MARIAM THERESIAM de hoſtibus ſuis glorioſe triumphaſſe, bellumque ſane quam difficillimum maxima cum laude ſua & emolumento confeciſſe, ut adeo MAGNÆ appellationem non immerito conſecuta fuiſſe videatur. Porro quamvis ceteræ hæreditariæ Provinciæ nihil in ſe fidei aut induſtriæ deſiderari paſſæ fuerint, haud exiſtimo tamen aliquid me alienum ab Europæ totius, ac ipſius adeo MARIÆ THE-

MARIA THERES.

MARIA THERES. THERESIÆ judicio dicturum A), ſi præcipuas in ſervanda Principi ſuæ inconcuſſa fide, & gerendo hoc bello, feliciterque terminando partes Hungaricæ genti tribuero. Nam cum ſub ipſa belli exordia Provinciæ aliquot, e quibus miles ſcribi poterat, ab hoſtibus occupatæ tenerentur, exercitus noſtros maximam partem ex Hungaris

A) Legi merentur Auguſtæ Dominæ verba, in litteris ad Joannem Com. Pálffi Reg. Hung. Palatinum die XIII. Julii An. MDCCXLIII. datis: „ Ex „ eo, *inquit*, quod de felici Rheni trajectu ex nunciis publicis intellexiſtis, haud dubie *vobis* conſtabit, quam ſtrenue & fortiter copiæ Hungaricæ „ ſe geſſerint. Secuti ſunt initium adeo proſperum „ ſucceſſus adhuc fortunatiores. Expugnata equi„ dem mœnia quaſi invincibilia ad Lauterburgum, „ occupata etiam ipſa hæc civitas, diſperſi illi, qui „ in regionibus illis erant inimici, capta horum „ vexilla & timpana. Quæ omnia poſt Omnipoten„ tis auxilium fortitudini, dexteritati, & pruden„ tiæ non niſi dictarum copiarum attribuenda ſunt; „ prouti ex litteris Principis Caroli cognati mei di„ lectiſſimi uberius hic percipietis. Non poſſum „ igitur quin gaudium, quod abunde ſentio, ma„ ximum palam vobis faciam. „ In Palatinis Regni Hung. in fol. pag. 214.

MARIA THERES.

garis conflari oportuit. His adde nova annis ſingulis militum ſupplementa in caſtra miſſa, Nobiliſſimas denique victorias Hungaris Ducibus reportatas, quæ hodiedum viventium adhuc teſtium ſermonibus celebrantur, & litterarum monumentis ad poſterorum memoriam commendatæ ſunt A). Singularis hæc Hungarorum in tuendis Reginæ ſuæ juribus, & ditionibus fides atque conſtantia hoſtes ipſos in admirationem egit, eorumdemque conſilia eo vehementius pertur-

A) De belli hujus hiſtoria, & Hungarorum tum geſtis conſuli poſſunt. Geſchichte und Thaten der Königinn Maria Thereſia. La vie de Marie Thereſe Reine d'Hongrie. Hiſtoire de la derniere guerre de Boheme. Deſingii auxilia Hiſtorica Tom. I. P. Ladislai Thurotzi Hungaria ſuis cum Regibus ad noſtram ætatem a P. Stephano Katona S. J. continuata & paſſim alii. Noviſſime autem An. MDCC. LXXV. prodiere Pariſiis in lucem Annales Mariæ Thereſiæ, auctore Abbate Fromageot, Reginæ Galliæ dedicati ſub titulo; *Annales du Regne de Marie Thereſe.* In eleganti hoc opuſculo & belli utrinque; & rerum pace geſtarum Hiſtoriam ad annum usque MDCCLXXI. deductam cum voluptate legere licet.

turbavit; quo minus id ante præviderant, falſo arbitrati, Hungaros ſuis ad id temporis finibus tuendis aſſuetos, eam MARIÆ THERESIÆ hæreditatis direptionem otioſis oculis ſpectaturos: qua opinione vehemen- [illegible] cum damno ſuo ſunt [illegible] to, quantumcunque illu[illegible] Hungari, præter immorta[illegible] MARIÆ THERESIÆ glo[illegible] beneficium longe maximum [illegible] ut oblitterata penitus civilium bellorum memoria, noxia illa ſæpius olim ſubditos inter, & Principem diffidentia feliciter denique ſublata ſit, Hungarique a MARIA THERESIA ſincera ſane voluntatis propenſione ſe diligi & crederent, & ſentirent A).

VIII.

A) Sincerum ſuum animum luculentiſſimis verbis expreſſit ipſa MARIA THERESIA in laudatis ſupra litteris, quas ſic proſequitur: „ Non ignotum „ quidem vobis eſt, quantus omni non tempore „ fuerit & affectus & fiducia mea erga nationem „ adeo mihi caram, perſuaſumque vobis erit, & „ affectum, & fiduciam meam majorem in dies e-

„ ga

VIII. Et vero nihil prorſus jam eſt, quod Hungari de MARIÆ THERESIÆ in ſe animo poſſint ambigere, poſtquam tot illa materni ſui amoris argumenta edidit, atque ita luculente; ut media in luce illum cæcutire oporteat, cujus oculi tantis tamque illuſtribus favoribus Regiis nondum perſtringuntur. Singula hic recenſere longum foret, pauca ſolum ſtrictim attingam, ut vel me præcone Juventus noſtra jam nunc intelligat, quot nominibus MARIÆ THERESIÆ ſit obſtricta. Atque hunc ſolum mihi nunc quidem præſtitui finem: nemo igitur mihi vitio dabit, quod contra quam in deceſſoribus Regibus feceram, a ſcribenda noſtri temporis Hiſtoria abſtineam, Encomiaſtæ; quam Hiſtorico ſimilior.

MARIA THERES.

Qui mox Reginæ in gentem Hung. favores?

„ ga eandem fieri, cum in dies ſpecimina majora „ habeam, quam parum ſpes de eadem concepta „ me fefellerit. Nihil proinde eſt, quod in valo„ re, fideque Hungarorum omni prorſus occaſione „ mihi non promittam, nihilque, quod lubenti & „ grato animo Majeſtatis Noſtræ ad Regni bonum „ facere, parata non ſim. Quid quæſo his verbis amantius a Matre optima ſcribi potuit?

lior. Poſtquam itaque belli tempeſtas conquievit, quanti Hungaros faceret declaratura, Joſephum filium, præcipuum auſpicatiſſimi thalami fructum, tot Provinciarum ſpem Carolo Comiti de Battyán nunc S. R. I. Principi, & bellica virtute, & civili prudentia viro ſpectatiſſimo inſtituendum credidit. Qui quidem tanto in munere eo ſucceſſu verſatus fuit, ut & Auguſtæ Matris expectationi; & ſubditarum gentium votis quam cumulatiſſime ſatisfecerit. Illud etiam ſingulare prorſus favoris Regii argumentum cenſendum eſt, quod MARIÆ THERESIÆ demum voluntate Hüngaricæ Legiones dignitate, ordine & jure Germanicis exæquatæ ſint. Quo honore, cum Hungari propria etiam virtute ſua dignos ſeſe exhibuerint, plurimi per omnes gradus ad ſupremas militiæ præfecturas conſcenderunt; neque pauci ducendis exercitibus ſumma cum poteſtate ſunt admoti. Qua ſive honoris, ſive fiduciæ ſignificatione illud MARIA THERESIA ingenti imperii ſui commodo obtinuit; ut proprius ille olim genti Hungaricæ martius ardor

ardor diu ante ſopitus rurſus excitaretur. Quis autem eorum inibit numerum? qui in civili Republica ſapientiſſimo MARIÆ THERESIÆ judicio ad ſumma dignitatum ſubſellia, & intimam negotiorum tractationem ſunt admiſſi. Non domi jam ſolum credita Hungaris munera; verum etiam in ceteris hæreditariis Provinciis apertus ad honores aditus; quin etiam nonnulli Legationibus apud exteras aulas habendis perfuncti ſunt. Ut autem illuſtri aliquo incitamento ſuorum fidem induſtriamque paulo amplius acueret, paucis ab hinc annis a) Ordinem Equitum D. Stephani I. Regis Apoſtolici inſtituit, ad quem iis ſolum, quos ſumma virtus, & merita in Rempublicam commendarent, aditum patere voluit. Quanti autem illud eximii ſane in Hungaros favoris, & honoris argumentum faciamus? quod totius Europæ oculos in ſe convertit: Turmam intelligo Prætorianam,

MARIA THERES.

Ii 2 c

a) Cepit Ordo Equitum S. Stephani I. Regis Hung. Apoſtolici Viennæ die V. Martii Anno M. DCCLXIV.

MARIA THERES.

e Nobili Hungarica Juventute collectam A), cujus fidei Auguſtum ſuum caput, cariſſimaque pignora committere non dubitavit MARIA THERESIA; quæ quidem Nobiliſſima turma Trojani inſtar equi habenda eſt, m in utraque Republica ſunt. His Auguſtæ icentia variarum ſcientia um Profeſſores conſtituit, t c juventus ſubciſivis a munere o horis entis excolendæ opportunitatem haberet. Quo quidem inſtituto haud ſcio, an aliquid ſive ad arctius adſtringendos Auguſtæ Domui popularium animos accommodatius; ſive ad perpetuam Hun-

A) Conſtat Turma hæc CXX. capitibus; ſurrexit autem Poſonii An. MDCCLX. ibidemque die XXVIII. Septemb. fidei Sacramentum dixit, Reginæ vices ſuſtinenti Com. Nicolao Pálffi ab Erdöd tum Cancellario. Primus Nobilis hujus Turmæ Capitanei honore functus eſt Com. Leópoldus Pálffi, huic ſucceſſit Com. Nicolaus Eſzterházy de Galantha, ac denique Nicolaus S. R. I. Princeps Eſzterházy: quæ dignitas in Comitiis An. MDCCLXIV. Regni Baronibus adnumerata fuit.

Hungariæ felicitatem & gloriam utilius excogitari potuerit.

Quæ procurata Regno ornamenta?

IX. Illa ad immortalem gentis gloriam; hæc ad ornamenta pertinent. Ex quo Auſtriaca e Domo Reges Hungariæ dominati ſunt, ea fuit temporum iniquitas; ut præcipuo, quod ſubditi deſiderare poſſunt, ſolatio, id eſt, Principis in Regno præſentia & conſpectu carere cogeremur. Singulis pene in Comitiis vota preceſque integratæ ſunt; nec tamen quidquam fere impetratum fuit, niſi ut Reges interdum Comitiorum habendorum cauſa Poſonium, aut Sopronium decederent. Æquiſſima gentis ſuæ vota, ubi audiit MARIA THERESIA, continuo ſollicita fuit, ut eisdem, quantum per ceterarum Provinciarum curas licebat, quam ſæpiſſime ſatisfaceret; ſapienter exiſtimans, nihil æque ad amorem fidemque ſubditorum affirmandam facere, atque ſi illi Principum ſuorum ingenium, virtuteſque pernoſcere, & ſuismet intueri poſſint oculis. Itaque quod olim prodigii inſtar fuit, jam hodie Hun-

MARIA THERES.

gari quam creberrime clementiſſimo Auguſtæ ſuæ Matris conſpectu & alloquio perfruuntur, præcipue Poſonii; ubi ſumma Regni Dicaſteria collocata ſunt. Prima etiam ex Auſtriacis poſt Ferdinandum I. fuit MARIA THERESIA, quæ Majeſtatem ſuam bis Budenſi metropoli impertivit: geminis enim vicibus longius progreſſa, Peſtini ſemel An. MDCCLI. cum Auguſto Cæſare FRANCISCO diutius commorata eſt, militis ſui peritiam dexteritatemque ſpectatura; alias Eminent. Cardinalis Migazzi rogatu, Vacium An. MDCCLXIV. animi cauſa conceſſere Auguſti Conjuges cum univerſa Cæſarea familia. Cum autem ad noſtram usque ætatem nulla' prorſus Rege digna eſſet in Hungaria habitatio; quo incommodum iſtud tolleret, ſucceſſoribusque ſuis apud Hungaros degendi opportunitatem procuraret, ſub ipſa Regni ſui initia curas ſuas eo traduxit MARIA THERESIA. Dimidium & amplius jam effluxerat ſeculum, ex quo ſingulari Dei beneficio; Caroli autem Lotharingi Ducis invictiſſimi virtute, Hungarici Regni me-

tro-

tropolis Buda e Turcarum manibus vindicata fuit: jam ſuus urbi & arci, ſublimi Regioque plane ſitu ſuo A) ſuperbienti redibat ſplendor & frequentia; at celeberrima illa aula Regia, quæ a Bela IV., ut diximus, excitata; multis a Ludovico Magno partibus aucta; novis a Sigismundo exornata palatiis, Mathiæ demum Regis auſpiciis ſummum ſplendorem acceperat; illa inquam tot Divorum Regum incolatu ſacra Budenſis Regia ſuis adhuc ſepulta jacebat ruderibus, auxiliatricemque manum præſtolabatur. MARIA THERESIA tot ante ſe Regum memoriam vindicatura, non diutius ſquallorem illum tolerandum putavit. Itaque ubi primum a belli curis conquievit, novam a fundamentis Regiam priore in loco moliri cepit B), illiusque edu-

MARIA THERES.

A) Pervulgatum illud eſt in arcis Budenſis laudem: *Buda jugo, Veneti Pelago, Florentia campo*, eminet: id quod verum eſſe fatentur ii, qui præcipuas Europæ urbes, earumque ſitum perluſtrarunt.

B) De inſtauranda Regia Budenſi elegantes prius litteras miſit ad omnes comitatus & civitates; Co-

mes

MARIA THERES. educendæ Provinciam Excell. D. Antonio Comiti Graſſalkovics viro in Patriæ commoda nato commendavit, omine ſane quam feliciſſimo: illius enim indefeſſis curis, Auguſtum illud, & Regia dignum magnificentia opus optatum jam accepit finem, inexplicabili gentis Hungaricæ lætitia & gratulatione; immortali autem MARIÆ THERESIÆ gloria, cujus nomen quamdiu arx illa pone labenti Danubio dominabitur, nulla unquam vetuſtas abolere poterit. Verum non hoc ſolum loco memoriam ſuam immortalitati transſcripſit Auguſta noſtra Domina: fervebant adhuc Bu-

dæ

mes Joannes Pálffi ab Erdőd Reg. Hung. Palatinus ſingulos ad opus tam honorificum privato etiam ære adjuvandum exhortans; quod cum liberaliter prompteque oblatum fuiſſet, Auguſtæ MARIÆ THERESIÆ natali die XIII. Maji An. MDCCXLIX. primus lapis jactus eſt ab Excell. D. Com. Michaele Carolo ab Althan Epiſcopo Vacienſi, præſente Excell. D. Antonio Com. Graſſalkovics Excelſæ Cameræ Hung. Præſide & frequentiſſima Nobilitate, ad quam elegante ſermone peroravit, ille, qui e ſcholis Piis ad Transſilvanienſes Infulas promotus poſtea fuit, Excell. & Reverend. D. Antonius L. B. Baithaj.

MARIA THERES.

dæ operæ ', cum de inſtauranda Poſonienſi arce cogitationem ſuſcepit. Stabat illic vetuſta ædes Regia, mole quidem vaſtiſſima; verum adeo exiguis inſtructa opportunitatibus, ut Auguſtæ familiæ pro dignitate capiendæ non ſufficeret. Hanc illa magnis ſane ſumtibus in commodiorem redegit ordinem, novis auxit adjectis palatiis, ad omnem nitorem & elegantiam inſtruxit, adeo ut illa hodie una e præcipuis Aulæ noſtræ domiciliis merito exiſtimari poſſit. Itaque MARIÆ THERESIÆ munificentiæ debebunt ſucceſſores Hungariæ Reges, quod majeſtate ſua non indignas apud nos habituri ſint ædes. Neque illud hic ſilentio prætereundum ſingulare Auguſtæ Dominæ noſtræ in Hungaram gentem propenſionis argumentum: quoniam plurium populorum curæ illam a Viennenſi Aula ſæpius & diutius abeſſe non ſinunt; quo aliqua tamen ſui parte apud Hungaros remaneret, dedit nobis materni ſui amoris pignus Sereniſſimam Archiducem MARIAM Chriſtinam, quæ cum Sereniſſimo ſuo Conjuge ALBERTO Regio Poloniæ Principe, Sa-

MARIA THERES.

xoniæ & Theſchini Duce, Regni Hungariæ Locumtenente Regio a) ſtabilem Poſonii

a) Comite Ludovico de Battyán Reg. Hung. Palatino die XXVI. Octob. An. MDCCLXV. e vivis erepto, Auguſta Domina noſtra mox die XXV. Decemb. ſuum Hungaris Locumtenentem dedit Sereniſſimum Ducem ALBERTUM, qui ſive Poſonii Regio Locumtenentiali Senatui, ſive Peſtini in ſeptemvirum Tabula juri dicundo præeſt, ita utrobique verſatur, ut a multiplici rerum cognitione, conſilii vi, Religionis & æquitatis ſtudio, & Auguſtæ Reginæ noſtræ judicio, & Hungarorum votis abunde reſpondeat, ſingulari autem ſua in omne hominum genus benignitate omnium ſibi amores devinciat. Hæc tum ex aliorum auditione communique fama cum veritate ſcripſimus; at nunc, cum in Aula ejus degere, propiusque Sereniſſimi Ducis decora cognoſcere nobis licet, multo plura commemorare poſſemus, de inſigni illius ingenio, de rara, multiplici, in omni diſciplinarum & artium genere eademque ſolida cognitione, quam aſſiduo peculiarique legendi ſtudio ſibi comparavit: nam quidquid a neceſſariis Reipublicæ curis ſupereſt temporis, totum pene clariſſimis optimisque auctoribus evolvendis ita impendit, ut veræ eruditionis laudem Regii ſanguinis ſplendori anteferre videatur. Huc facit locupletiſſima illa ſelectiſſimorum in omnibus

bus

ſonii habet ſedem, geminaque jam vice Budæ & Peſtini longiore juriûm celebrandorum tempore conſedit. Quanta illic cum Hungarorum gratulatione accepti ſint Nobiliſſimi hi conjuges: quam acerbo ſemper cum dolore dimiſſi, notius eſt, quam ut a me deſcribi oporteat. Certe in MARIA Chriſtina Archiduce cum alias AUGUSTÆ MATRIS gratias virtutesque; tum vero ſinceriſſimum in gentem Hungaram ſtudium elucere omnium linguis ſermonibusque celebratur.

MARIA THERES.

X. Hæc, & ſexcenta id genus alia ſummi quidem æſtimanda ſunt, & digna plane, ut æterna grati animi memoria eadem proſequamur. Sed mihi diutius his immorari non vacat, ut qui rapi me ſentio ad illa, quæ ad excolandam gentem Hungaram, perennemque illius felicitatem pro-

Quæ conditæ ab ea nobilium Academiæ?

bus ſcientiis Librorum Bibliotheca, quam paucorum annorum cura ſummo cum delectu ac judicio collegit, noviſque in dies augere pergit acceſſionibus.

MARIA THERES.

procurandam a Matre noſtra clementiſſima inſtituta oculis intuemur. Poſtquam in ipſo Regni aditu firmiter apud ſe ſtatuerat, Hungariam ad ſummum ſplendorem evehere, nil ſibi prius agendum putavit, atque ut juventutem nobilem culturæ alioquin capaciſſimam, quam optime & Religionis, & omnigenæ eruditionis præceptionibus imbui procuraret, quo idoneos ſibi formaret toga ſagoque viros, quibus ad veram Patriæ felicitatem promovendam aliquando uteretur. Itaque cum accepiſſet celeberrimum olim Regio-Archiepiſcopalem Nobilium convictum, quem Cardinalis Petrus Pazmannus Tyrnaviæ olim conſtituerat, & nervo & incolis deſtitutum in ruinas abiiſſe, continuo Regia ſua auctoritate & munificentia perfecit, ut nobilius multo ſuis e ruderibus reſurgeret A), iisque inſtrueretur commoditatibus, quæ frequentiſſimæ juventuti capiendæ pares forent.

A) Prima Convictus Regio-Archiepiſcopalis fundamenta jacta ſunt die XXIII. Maji Anno MDCC. XLVII. Incoli autem cepit An. MDCCLV.

Cum vero creſcente poſtremis his annis Nobilium numero ampliſſima domus anguſta evadere cepiſſet, agente Franciſco Xaverio Lib. Barone Splény Convictus illius cum Præſide, ac hodie jam S. Jacobi de Simigio Abbate novas rurſum materna illius pietas paravit opportunitates. Ut autem illuſtre aliquod Auguſtæ illius gratiæ in domo hac exſtaret monumentum, Iconem ſuam feliciſſimo ſane pennicillo expreſſam anno abhinc transmiſit, una etiam Nobili juventuti ad condiſcendas bonas artes incitamento futuram. Alterum haud ita pridem Emin. ac Celſiſſ. Principe S. R. E. Cardinale Migazzio hortatore Nobilium Collegium Vacii poſuit, quod cum & redditibus perpetuis & legibus ſapientiſſimis communiviſſet, dignum cenſuit, ut Auguſto ſuo nomine Thereſianum appellaretur. In utroque hoc contubernio cum recta fidei morumque doctrina ſcientiæ artesque omnes nobili juventute dignæ magna & moderatorum diligentia, & adoleſcentum fructu quam lætiſſimo traduntur; ut merito inde Patria, & Religio clariſſima olim columina

MARIA THERES.

expe-

[illegible]
berniorum Princeps e
Viennenſe Collegium
quod MARIÆ THE
ceptum, & conſtanti
ctum ad eum deniqu
nulla ut Europæ Nob
amplitudine, ſive N
pene Regnis & Provin
frequentia, ſive deni

a) Ubi hodie Cæſare
reſianum Viennenſe, æſtiva
fuit. Hanc poſtquam Nobi
addixit Auguſta MARIA T
MDCCXLVII. Convictoribu

[redacted]

MARIA THERES.

hodie in utraque Republica virorum, qui prima illic futuræ magnitudinis ſuæ jecere fundamenta, numero, cum illa in contentionem venire poſſit. Dati jam hinc ſunt pluribus Eccleſiis ſanctiſſimi Præſules, arcanioribus conſiliis pii ſapientesque adminiſtri; clariſſimi copiis Duces. Commemorari Auguſta hæc domus debuit, cum quod magno Hungarorum ære ſuo viventium numero frequentetur; tum vero quod MARIÆ THERESIÆ fundatricis munificentia, perpetuis aſſignatis ſtipendiis, pluribus Hungaris locum illic eſſe voluerit.

Quid præterea commodo Juventutis factum?

XI. Fruſtra ſum, ſi cuncta quæ Auguſtæ Matris noſtræ ſollicitudo Hungaricæ juventuti rite excolendæ adjumenta comparavit, enumerare velim: quando vix aliquod eſt id genus hodie contubernium, quod non aut natales ſuos, aut incrementa, aut ſplendorem denique ab ea accepiſſet: ubivis MARIÆ THERESIÆ munificentiæ & gratiæ proſtant monumenta. Pazmanianum Junioris Cleri Viennæ Collegium, quo Celſiſſ. Princeps Regni Primas

Fran-

MARIA THERES.

Franciſcus e Com. de Barkótzi de Szála olim Tyrnaviam deduxerat, auguſta illius liberalitate priſtinas rurſus Viennæ recepit ædes, ingenti rei Eccleſiaſticæ commodo. Poſonienſe Cleri Seminarium, illius ære bien[illegible]ratum, ad omnem inſtr[illegible]ditatem, Auguſtaque Rep[illegible]gie donatum. Tyrnaviæ S. [illegible]ilium convictus ab ejus mu[illegible] ſua ornamenta & lætiores progr[illegible] accepit. Illi Szenczini Convictum & correctionis domum, Dallóſſini Orphanorum contubernium debemus A). Ad Transſilvaniam etiam ſuas illa porrexit curas: illius liberalitate auctus eſt Claudiopoli in Nobilium Convictu Alumnorum numerus; Cibinii autem ampliſſimum his annis ſurrexit Orphanotrophium, cui magnificum nunc adjicitur templum.

præ-

A) Utroque in loco ei uſui ædes ſuas addixit Excell. D. Franciſcus e Com. Eſzterházi de Galantha Aulæ Hungaricæ Cancellarius Aur. Velleris & Inſignis Ord. S. Stephani Regis Apoſt. majoris Crucis Eques, æternam ab hoc in patriam juventutem ſtudio ad poſteros habiturus memoriam,

MARIA THERES.

Præter copioſam juventutem in Seminariis & Convictibus collocatam, quis eorum inibit numerum, qui omnibus vitæ ſubſidiis deſtituti, ab AUGUSTA hac MATRE ſtipendia accepere, ut pietatis, litterarumque ſtudiis vacare poſſint.

Quæ rei litterariæ ratio?

XII. Res litteraria quanta ſub clementiſſimo MARIÆ THERESIÆ imperio incrementa ceperit, in quem ſeſe evexerit florem, facilius multo intelligi; quam a me deſcribi poteſt. Nunquam in Hungaria perpetuis belli procellis agitata ea fuit, quæ hodie affatim ſuppetit, ſcientiarum condiſcendarum opportunitas. Ut primum propenſa Auguſtæ Dominæ noſtræ in bonas artes ſtudia patuerunt, ubi primum Viennenſis Academia An. MDCCLIII. reformata fuit, aliam continuo res litteraria apud nos induit faciem A). Nonnullæ

A) Anno ſuperiore MDCCLXXIV. miſſi fuere ab Auguſta Excell. ac Illuſtr. D. Comes Georgius Fekete J. O. S. Stephani magnæ Crucis Eques, Judex

MARIA THERES. ſcientiæ a quæſtionibus parum utilibus liberatæ ſunt; aliæ paulo diligentius excoli ceptæ; complures paucis ante cognitæ: ut Aſtronomia A), Geometria, civilis & militaris Architectura, Politia introductæ. Refloruit Theologiæ ceterarumque ei ancillantium diſciplinarum ſtudium: nova penitus

dex Curiæ Regiæ, Vir inſigni ſapientia & rerum uſu præditus, geſtisque ſummis in Hungaria Magiſtratibus conſpicuus, & Illuſtr. D. Joſephus Urményi Hung. Aulicæ Cancellar. a Conſiliis, cum ab aliis muneribus, tum vero a traditis Maximiliano Archiduci Juris Publici Hungarici placitis celebratus, qui Tyrnavienſem Academiam novis Legibus, novisque per concurſum delectis ſcientiarum Profeſſoribus menſe Octobri feliciter inſtaurarunt. Eorum conatus in rem literariam ut bene vertant Patriæ, ex animo vovemus!

A) Hujus uſibus ſervit unica hucusque in Hungaria ſpecula Tyrnavienſis, magnam ab Aſtronomo ſuo P. Franciſco Veiſs apud Eruditos in Europa famam conſecuta. Cepit illa erigi An. MDCCLIII. primum lapidem die XV. Febr. jaciente Illuſtriſſ. D. Antonio e Com. de Réva Epiſc. Milevitano per Archidiœceſim Strigon. in Pontific. ſuffraganeo &c. curante P. Franciſco Borgia Kéri Collegii Tyrnav. Rectore.

tus introducta Philoſophiæ ratio: Jurisprudentia ſolertius & utilius tradi cepta: Medica etiam facultas Tyrnaviæ ſedem fixit. A) Hiſtoria patria quantum poſtremis his annis Eruditorum calamis lucis acceperit, optime norunt illi, qui domeſticas hujus generis merces non admirari tantum; verum evolvere etiam diligenter ſolent, ut adeo ſupervacaneum cenſeam, eorum hic nomina apponere, qui in elucubrandis rebus domeſticis non inutilem; non tamen ſine improbo labore operam locant. Denique ea eſt litterarum ſub ſapientiſſimo MARIÆ THERESIÆ Regno felicitas, nullum ut jam ſit diſciplinarum & artium genus, in quo non præclariſſimos Hungaria viros numeret, qui nominis Hungarici fa- MARIA THERES.

A) Nunc adeo Medicæ Facultatis uſibus nova in Academico foro Tyrnavienſi Domus ponitur, cæteris autem diſciplinis vetus Scholarum ædes ad omnem elegantiam & commoditatem Auguſtæ Dominæ noſtræ munificentia inſtruitur: ut adeo Academiæ Tyrnavienſis inſtauratricem ex merito venerari poſſimus MARIAM THERESIAM, pientiſſimam gentis Hungariæ MATREM.

tactum, accerſe
tiarum progreſſ
MARIA THER
ñis ſane mediis

---

a) Veniam uii
ad Hungaricæ genti
ximilianum Hell e S
mum gente Hungar
ge ad obſervandam
Solis invitatus, una c
Sainovics moleſtiſſim
fuit, ubi non modo
venerat, obſervatione
rebus ad rem litterar
Regis ſpes, & erudit

MARIA THERES.

trire, & paulo vehementius in dies accendere: ut ſummum apud illam eſt litterarum; ita etiam litteratorum pretium: non paucis ob excultas ingenio aut calamis ſcientias & bonas artes, Regia digna munificentia decreta ſunt præmia; alii ad honores evecti, alii perpetuis donati ſtipendiis. MARIÆ THERESIÆ exemplo complures e potentioribus excitati, non modo Literatos ſingulari benevolentia complecti ac fovere, verum etiam pro facultatum ratione liberalibus ſubſidiis adjuvare pergunt.

Quæ ſequiori ſexui educando media poſita?

XIII. Sic cum AUGUSTA MATER noſtra cujusvis ordinis & conditionis adoleſcentibus & idoneos procurat Magiſtros, & omnia diſcendi adjumenta ſubminiſtrat, ſequioris etiam ſexus ætatem teneram ſuis dignam putavit curis: videbat enim illuſtres adoleſcentulas, ſi piam rectamque acciperent inſtitutionem; probas olim Matres futuras, quæ ſuis aliquando prolibus Religionem & probos mores a teneris inſtillaturæ ſint. Hoc igitur ut aſſequeretur, præter veteres Nobilium puellarum ſub D. Ur-

MARIA I.

rſulæ ſociarum cura Convictus Auguſta a gratia animatos & auctos, nova ſibi nſtituenda putavit contubernia, ut quam urimis inſtitutionis opportunitas præbetur. Itaque Sanctimonialium Poſonii de ... terium tenuibus ce- ... & munificentia ſua ad ... & amplitudinem ad- ... die confluentibus undi- ... adeo frequentari cernimus, ... in ditionibus Auſtriacis hujus generis contubernio ſit ſecundum. Quo autem remotiſſimis Hungariæ partibus proſpiceret; hoc demum anno MDCCLXX. Herulas Anglicanas Budam deduci, partemque unam Regiæ ſuis accommodatam uſibus occupare juſſit, eo fine; ut Nobilium puellarum illic informandarum curam gererent a). Hæc omnia ſapientiſſimo

MA-

a) Et Sanctimoniales, & Alumnæ Virgines introductæ ſunt in deſtinatam ſibi Regiæ partem die XIII. Maji, ſacras Cerimonias peragente Eminentiſſimo Cardinale Chriſtophoro è Comit. Migazzi Viennenſi Archiepiſcopo, & Vacienſis Eccleſiæ Admini-

ſtra-

MARIÆ THERESIÆ conſilio ad ſequioris ſexus commoda, immo vero maximam Patriæ utilitatem inſtituta ſunt: quantus autem inde aliquando fructus exiſtet? prodibunt ex his domibus caſtiſſimæ virgines, Matronæ ſpectatiſſimæ, pietatis, & bonorum morum vindices, quæ Auguſtæ ſuæ fundatricis aut protectricis virtutes ſolerti imitatione exprimere ſtudebunt.

MARIA THERES.

XIV. Hæc igitur præcipue fuere adminicula, quibus MARIA THERESIA ad inſtaurandam cariſſimam ſibi Hungariam uſa fuit, ſucceſſu, quem ſperare poterat, optatiſſimo: brevi enim temporis ſpatio, omnes Regni Hungarici partes quaſi renaſci ceperunt. Efflöruit mox Religio maxi-

Quæ Regni Thereſiani felicitas?

ſtratore; qui anno ſuperiore die XV. Octobris elegantiſſimum Budenſis Regiæ ſacellum ex Ecclsſiæ ritu conſecraverat, vices AUGUSTÆ REGINÆ noſtræ obeunte illo, cujus potiſſimum curis tota illa moles ſurrexit. Excell. Comite Antonio Graſſalkovics de Gyarak: cui Auguſta Domina, elegantibus litteris terminatum denique opus gratulata, id honoris detulit.

MARIA THERES.

mis aucta acceſſionibus, effloruere ſcientiæ, & artes ingenuæ; in vitæ morumque inſtitutis incredibilis apud omnem ſexum, ætatem, & Ordinem commutatio facta: profligato otio & malis, quæ inde conſequi ſolent, omnium voluntates ad communem Reipublicæ felicitatem procurandam ſunt excitatæ, deſierunt jam veteres illæ Hungarorum, ſe negligi, aliisque gentibus poſthaberi, dolentium conqueſtiones. Reſtitutus Proceribus ſuus honor & dignitas; ſua Nobilium Ordini æſtimatio, & civibus ſecuritas: expleta diuturna illa Patriæ ſolitudo, redditus oppidis, & urbibus ſplendor, & frequentia, Regnum omne elegantiſſimis exornatum palatiis, adhæc fines Hungariæ non modo XIII. Scepuſii oppidorum A) acceſſione, verum etiam

A) Sigismundus Imp. idemque Rex Hungariæ æris ſubſidiis ad bellum Venetis, recuperandæ Dalmatiæ cauſa, inferendum deſtitutus, An. MCCCC. XII. die VIII. Novembris Uladislao Jagelloni Poloniæ Regi pro XXXVII. millibus ſexagenarum Latorum groſſorum Pragenſium pignori locarat, ut diploma

etiam ampliſſimis Galliciæ, Lodomeriæ, Po- MARIA
doliæque ditionibus poſtliminii jure vindica- THERES.
Kk 5 tis

---

ploma loquitur: *Caſtrum Lublo alias Lublaw*, *&* *Oppidum Podolinum* eodem anno Liberis Regiisque Hung. Civitatibus adſcriptum, *cum fortalitio ac Villis ad ea pertinentibus*, *nec non Oppidis & Civitatibus infra ſcriptis*, *in terra Scepuſienſi Diœceſis Strigonienſis ſituatis*, videlicet: Gnizna, Bela, *Leübitz*, *Menbartdorf*, *Georgenberg*, *Tewtſchendorf*, *Michelsdorf*, *Wallendorf*, *Neüdorf*, *Rysdorf*, *Fülka*, *Kürchdorf*, *Matsdorf*, *Durelddsdorf*, *nuncupatis*, *cum eorum omnibus attinentiis* - - - *Jurisdictionibus temporalibus &cet.* Pignus hoc ſingulis pene Comitiis ab Hungariæ Ordinibus expetitum, poſt 360 annos, demum An. MDCCLXXII. ad S. Coronæ Hungaricæ obſequium poſtliminio rediit, die V. Novembris S. Emerici Ducis Hung. memoriæ ſacra; qua die vice ac nomine AUG. MARIÆ THERESIÆ HUNG. REGINÆ APOSTOLICÆ, Iglovia vulgo *Neüdorf* in Eccleſia Parochiali a XIII. Oppidorum Primoribus fidelitatis juramentum excepit *Joannes Nepomucenus e Comitibus Csáky de Kereſztſzeg* Perpetuus Terræ Scepuſienſis, ejusdemque Comitatus Perpet. & ſupremus Comes J. O. S. Stephani Regis Apoſtolici Comendator AUGG. MM. a Conſiliis intimis, Vir ab ingenio, eruditione & geſtis magiſtratibus Clariſſimus. Eodem prorſus ri-

tu

in REGIS APOSTOLICÆ
recepit. Hæc ad poſtrema
a) Galliciæ, Lodome
DCCLXXII. in MARIÆ
conceſſere. Jura S. Coron
Rubram, & Podoliam ſpe
natim in rebus Andreæ II.
Sigismundi, explicuimus
ſertatione noſtra de Tituli
THERESIÆ AUG. ſive
idiomate vulgata, eadem S
vimus, quæ hic repetere ſu
vat nihilominus hæc nonnu
Nemo imprimis in dubium
nam Hungariæ ſub Bela III.
juſtoque titulo, ſpontanea n
oblatione in Galliciam Lod
Ruſſiam Rubram nullatenus

illa, qua tot annis carebamus, gloria & felicitas, atque ita rediit, ut eam & ſin- MARIA THERES.
guli

liæ ditionibus, quas partim bello Tartaris eripuit, partim emptione permutationeque ab eorum Dominis comparavit: nominatim a Theodoro Keriatovics & Ladislao Oppoliæ Duce. Poſt LUDOVICI M. An. MCCCLXXXII. ſublati; ac præſertim hujus in Sceptro Hungarico hæredis Reginæ MARIÆ Ann. MCCCXCII. demortuæ obitum, Regna hæc S. Coronæ Hungaricæ eripuit Soror *Heduigis* Regina Poloniæ, Uxor Jagellonis; *Sigismundo* Rege ſuis cum Hungaris necquidquam alienationi huic intercedente. Atque ex eo tempore Poloni in dictorum Regnorum poſſeſſione permanſere; quin tamen aliquando Hungariæ Status & Ordines; ſine quorum conſenſu nulla limitum juriumque alienatio locum unquam habuit, jura ſua pacto aliquo Polonis transſcripſerint. Reges ipſi cum aliis indiciis; tum vero conſtante Inſignium & Titulorum Gallicie ac Lodomeriæ uſu huic uſurpationi propalam obſtitere. Fatendum quidem eſt, *Rudolphum II.* Imper. ac Hung. Regem, ad eliberandum e manibus Polonorum Maximilianum Archiducem fratrem ſuum, *pace Bithomienſi*, cunctis Auguſtæ Domus Auſtriacæ in Polonicas ditiones juribus Anno MDLXXXIX. renunciare coactum fuiſſe; at enim juribus S. Coronæ Hungaricæ in Ruſſiam Rubram, & Podoliam renunciare,

MARIA THERES.

guli ſentiant, & non alteri; quam ſollicitis MARIÆ THERESIÆ curis deberi intelligant: nemo certe eſt, qui non Thereſiani Regni beatitudinem deprædicet? Quanta autem hinc AUGUSTÆ MATRI noſtræ [illegible] quanta uberrimi ſolatii

---

ciare, [illegible] potuit, quod poteſtate carebat, [illegible] gni conſenſum, quidquam ſive terrarum ſive juriu[m] alienandi: Ipſe *Rudolphi II.* ad *pacem Bithonienſem* Legatus *Stephanus Iſtvánfius* Hung. Locumtenens actis ejus pacis, quatenus Jura S. Coronæ Hungaricæ lædebant, interceſſit; neque Status & Ordines Regni Hungarici, induci unquam potuere poſtea, ut, quod unum per literas & nuncios urgebant Poloni, Rudolphi II. Regis ſui, *pace Bithonienſi*, acta aſſenſu ſuo rata haberent. Itaque tum etiam; cum Auguſta Domus ſuo nomine cunctis in Polonicas ditiones juribus ſub Rudolpho II. ſemet exſpoliavit; S. Coronæ Hungaricæ in Ruſſiam Rubram &cet. jura ſalva manere: quibus nulla unquam etiam longiſſimi temporis præſcriptio obeſſe poteſt: quæ ſolum a Civili jure ad ſubditorum commoda introducta eſt, quæque inter gentes & Principes, qui nullum ſe ſuperiorem agnoſcunt, nullatenus locum habere, & Juriſconſultorum opinione; & uſu ipſo a pluribus ſeculis recepto ad liquidum demonſtratur.

MARIA THERES.

tii materies? quod illa felicitatis, qua omnes fruimur, jecit fundamenta. Alii Reges & Principes multa in commune bonum moliuntur; ſed quæ filiis olim Nepotibusque abſolvenda relinquant: MARIA THERESIA quidquid auſpice Deo, & ſinceriſſimo illo in ſuorum commoda ſtudio hactenus aggreſſa eſt, rara ſane felicitate ad exitum deduxit, & quas radices ipſa plantaverat, earum lætiſſimos fructus decerpſit. Illis in ſanctiore conſilio utitur adminiſtris, quos ipſa a teneris educavit. Illos in tribunalibus habet Judices, quibus ipſa juris & æqui ſtudium inſpiravit. Illos exercitibus præfecit Duces, quos militarem prudentiam docuit. Denique pene omnia illa ad communem felicitatem perfecta vidit, quæ ipſa Regni ſui exordio ſibi facienda propoſuerat.

Cui hæc tribuenda?

XV. Singularis hæc MARIÆ THERESIÆ felicitas etſi humano etiam ingenio & induſtria procurata ſit, fatendum tamen eſt, eam Divino potiſſimum auxilio acceptam referri oportere. Hac nempe quaſi

mer-

MARIA THERES. mercede Numen liberaliſſimum remunerari voluit eximias, quibus Auguſta Mater noſtra præfulget virtutes, ut ſunt: ardens, quæ in Divinum cultum rapitur Religio: hæreditaria Domui Habsburgicæ in ſacroſancta [illegible] reverentia: tenera erga D[illegible] Dominam noſtram, atque [illegible]gibus propria pietas & fiduci[illegible]ropagandæ veræ fidei ſtudi[illegible]millibus animarum ad Eccleſiæ Cath[illegible] gremium revocatis æternæ ſalutis viam commonſtravit, A) Apoſtolicæque appellationis B) ſane quam honori-

---

A) Præter Anabaptiſtas Apoſtolicis Reginæ noſtræ curis penitus exſtinctos, multis ſane e Proteſtantibus ad Eccleſiæ Catholicæ ſinum rediere, redeuntque annis ſingulis. In horum commoda erecta An. MDCCL. Sodalitas, quam Archi-Confraternitatem D. Stephani I. Regis vocant, agente potiſſimum Excell. Comite Paulo Balaſſa de Gyarmath cum ab aliis laudibus, tum vero fidei propagandæ zelo viro ſpectatiſſimo: ex hac autem ſodalitate eorum, qui Eccleſiæ Catholicæ junguntur, egeſtas liberalibus ſtipendiis adjuvatur.

B) Veterem hanc Regum Hungariæ appellationem

MARIA THERES.

norificæ menſuram explevit : profuſa in omne miſerorum genus munificentia ; qua in re quantum ab illa quotidie præſtetur, ultimus ille, qui arcana omnia pandet, revelabit dies. Et quid quæſo exiſtimandum eſt, de Sacra D. Stephani I. Regis Hungariæ dextra, quæ poſtquam duobus & amplius ſeculis exul Raguſæ in Dalmatia delituit ; nunc demum ſingulari Numinis providentia, An. MDCCLXXI. domum relata, Auguſtæque MARIÆ THERESIÆ voluntate in Sacra æde Budenſis Aulæ collocata fuit; non ſine fauſtiſſimo ſane omine; fore ut precibus & meritis Sanctiſſimi hujus Regis Apoſtoli, Regnum Hungaricum manum porrigente MARIA THERESIA ad ſummum potentiæ & ſplendoris culmen aſſurgat A). Non parum huc

nem MARIÆ THERESIÆ elegante brevi confirmavit Clemens XIII. Pontifex die XIX. Auguſti Anno MDCCLVIII.

A) Juvat hic loci de Sacris his Lypſanis nonnulla breviter adnotare. Poſt cladem Mohacſianam

MARIA THERES.

huc fecere calentia tot populorum ad ſuperos vota precesque, repetita toties ad aras

---

nam An. MDXXVI. Sacrum hoc pignus Raguſam in Dalmat hoc usque tempus exulaverat; nte vetuſti characteris epig STEPHANI REGIS ET C OSI. Primus illius apud nos iſſimus Vir Georgius Pray Hiſto Regius; gloriam vero recuperati theſauri hujus ſibi jure vendicat MAGNA MARIA THERESIA Hungarorum Regina APOSTOLICA, quæ poſtquam Anno MDCCLXXI. die XXIX. Maji dexteram hanc recepiſſet, decentius ditiusque exornatam, eleganti capſæ argenteæ inſeruit, & quæ antea erecta eſſe ſolebat; quod jam domi ſuæ erat, in quieſcentis morem collocavit, tum vero novem dierum devotione in Schönbrunenſis Palatii æde ſacra excultam, ſolenni pompa Budam deportari ac in Regiæ ab ſe conditæ Eccleſia reponi juſſit, fidelium Hungarorum venerationi ſæpius per annum exponendam. Immortalis hujus facti memoriam ad poſteros transmittet nummus, cujus pars adverſa S. Dexteram refert cum veteri ſua epigraphe: averſæ autem parti hæc inſcripta ſunt. QUAM AB A. MXC. AD MDXXVI. IN HUNgaria, TUM RAGuſæ ULTimis II. SECulis CULtam, JOSephus II. ET M. THERefia AUG. MDCCLXXI. XXIX. MAII

aras Apoſtolicæ Reginæ memoria, quam Clemens XIII. Pontifex Maximus veteri uſu revocato a) ſingulis Sacerdotibus in Canone fieri præcepit. Quæ quidem piæ precationes eo majoris momenti cenſendæ ſunt, quo ſincerius ardentiusque peraguntur. Quis autem eſt, qui non communem hanc Matrem tam piam, æquam, & clementem filii inſtar ex animo diligat? qui non fauſta illi omnia cupiat? hujus amoris in MARIAM THERESIAM luculentiſſima vidimus argumenta tum maxime, cum graviſſimo correptam morbo triſtiſſimi ad omnes Provincias nuncii attulere. Quanta

MARIA THERES.

MAII RECUperarunt, ET POST IX. DIERum DEVOTionem HUNgaris DD. BUDæ QUOTANnis PUBlicæ VENERATioni PROPONENDam. De Sacræ hujus dexteræ vetere cultu, & Abbatia de Berekiis ſive Szent Jobb dicta; ſolennitate item tranſlationis Commentarium edidit Cl. Georgius Pray, hunc proinde lector adeat.

a) In veterum Miſſalium Librorum Canone ſemper expreſſa legitur mentio *pro Rege noſtro*: unde certum ſit, vetuſtis temporibus Regum Hungariæ memoriam id loci a Sacerdotibus fieri conſuevisse.

MARIA THERES.

ta Deum bonum! ubique ſecuta eſt comploratio? quam ferventes conſtantesque ad Deum fuſæ preces? expugnatum denique fuit cœlum, prorogata longius Auguſtæ Patriæ Matris vita: quaſi ea ſolum de cauſa in [illegible] fuiſſet, ut, quid de ſ[illegible] intelligeret. Et vero int[illegible]funde ſuorum animis ſe inſc[illegible]ulla ut unquam ejus nomen [illegible]ri poſſit.

Quæ M. Thereſiæ gloria in Joſepho filio?

XVI. His itaque adminiculis ſingulari Numinis beneficio, maximis crevit paſſibus Thereſiani Regni felicitas, crevit Auguſtæ temporum noſtrorum Reparatricis gloria: cui cumuli inſtar acceſſit pulcherrima illa ſobolis Auguſtæ corona non in hæreditariarum ſolum Provinciarum; verum etiam totius Europæ ſpes ampliſſimas feliciſſime educta. At poſtremum hoc MARIA THERESIA non niſi multis curis & poſt Chriſtiane toleratos complures adverſæ fortunæ ictus a cœlo impetravit. Carolo VI. Cæſare proh quanto Parente amiſſo, ereptam luxit Eliſabetham Matrem, lu-

xit

MARIA THERES.

xit Mariam Annam ſororem, luxit filium, Carolum, luxit geminas Nurus, luxit filias: acerba ſane funera! ſed quæ omnia forti plane animo, ut piam & conſtantem filiam, ſororem, Matrem, & ſocrum decuit, luxit. Atrocior his omnibus fuit FRANCISCI Cæſaris immortali memoria digniſſimi viri occaſus, quocum tot annis eximia fide, pietate, & voluntatis conſenſione individuam coluit vitæ ſocietatem; adeo ut nobiliſſimi hujus conjugii fides, & ſanctitas non viventium modo ſermonibus celebretur, verum etiam poſteris aliquando præclaro ſane ad immitationem exemplo ſit futura. Tantum igitur Conjugem, præcipuas ſuas in terris delicias, cum præter omnem ſpem & expectationem alieniſſimo plane tempore amiſit a),

a) Franciſcus Romanorum Imperator inter tædas nuptiales Leopoldi filii Magni Ducis Hetruriæ cum Ludovica Infante Hiſpaniæ Æniponti repentina morte; non tamen improviſa in Joſephi II. Cæſaris complexu vivere deſiit die XVIII. Auguſti Anno MDCCLXV. Ejus exangue corpus Auſtriacæ Domus

[redacted]
MARIA THERES.

in communi populorum omnium, præcipue Hungarorum, luctu, juſto & ipſa dolore mortem illius proſecuta fuit; verum ita, ut neque vehementiſſimi vulneris acerbitate fracta ſit; neque a ſolita virtutis co[illegible] Sed enim jacturam han[illegible] Cæſaris obitus nobis attul[illegible], dudum jam ante e cœlo da[illegible]sque fuit JOSEPHUS II. R[illegible]erator, avitarum tot coronarum hæres [illegible]ptatiſſimus, quodque præcipuum eſt, Germana utriusque Parentis virtutum imago: ab his ille & vitam & eximias plane animi corporisque dotes naſcendi conditione accepit: ab his ad Religionem, virtutem, ſapientiam, clementiam, juſtitiam, in miſeros opisque reapſe indigos ſingularem ſane miſericordiam a) ceteraque verorum Principum,

&

Domus tumulo Viennæ apud PP. Capucinos illatum fuit. Optimo Cæſari omnes Provinciæ & lugubribus exequiis, & ſinceris lacrimis parentarunt.

a) Innumera ſane ac prorſus illuſtria ſunt, quæ a Joſepho Cæſare miſeris infelicibusque perſo-

nis

& populi Rectorum ornamenta ita feliciter inſtitutus fuit; ut nil ultra in eo deſiderari poſſe videatur. Lætiſſimos paternarum curarum fructus ſpectavit aliquamdiu Genitor optimus, cum filium jam Cæſarem, & ſublimi illo honoris apice digniſſimum vidit; atque illud moriens ſolatii habuit, ut in Auguſti filii ſui JOSEPHI Cæſaris brachiis & vitam, & imperium poneret, futuram illius poſt ſe felicitatem, & gloriam ſecurius e coelo contemplaturus. At Matri Auguſtæ illud in vivis adhuc datum eſt, ut cum ſubditarum gentium ore; cum vero univerſæ prope Europæ conſpirante judicio, Principem ſe numeris omnibus abſolutum in JOSEPHO efformaſſe intellexerit. Vidit illum anno ſuperiore Roma A) MARIA THERES.

nis variis in locis benigne præſtita omnium linguis celebrantur, poſterorumque memoriæ commendantur. Præter cæteros adi *Annales du Regne de Marie Thereſe* ubi ſingularis hæc Cæſaris noſtri virtus eleganter depingitur.

A) Cum Romam poſt Clementis XIII. Pontificis ſanctiſſimi die II. Februarii exſtincti obitum veniſſet

MARIA THERES.

fidei & pietatis Magiſtra, ſummamque in Cæſare noſtro Religionem cum ſapientia, Majeſtatem cum inſigni in omnes benignitate conjunctam admirata eſt. Vidit illum Italia omnis, tantumque Principem noſtris invidit Regionibus. Videre illum exteri Reges & Principes, adeoque illius virtutis magnitudine capti ſunt, ut diſcedentem acerbiſſimo cum dolore proſequerentur. Honorificentiſſima omnium, quacunque iter fecit, populorum judicia, quæ & litteris & ſermonibus hominum ad nos propagata ſunt, quam plurimos his in oris illius videndi deſiderio compleverunt. Prævertit ſuorum vota Cæſar ipſe: nam cum jam ante ceteras ditiones Auſtriacas perluſtraſſet, anno hoc MDCCLXX. longum difficileque iter per Hungariam ſuſcepit, non

niſſet Joſephus Cæſar, inaudito ad eum diem exemplo, una cum Leopoldo Fratre M. Duce Hetruriæ in Cardinalium Conclave admiſſus fuit. Illius adventus Romam eximiæ artis Icone poſteritatis memoriæ commendatus eſt; at longe magis expreſſis ubique maximarum virtutum veſtigiis.

MARIA THERES.

non tam animi cauſa, quam ut ſapientiſſimorum Hungariæ Regum ſpeciatim S. Stephani, S. Ladislai, Ludovici M. ac Mathiæ Corvini exemplo, Regionis ſitum, indolem ſuismet exploraret oculis, Auguſtoque ſuo conſpectu, & alloquio omne hominum genus bearet. Proh quanta ubivis omnium Ordinum, omnis ſexus & ætatis e remotiſſimis etiam locis ad rariſſimum hoc ſidus videndum confluentis multitudo & alacritas! quanta ſingulorum poſtea admiratio! cum in ſublimi illo ſupra ceteros mortales Cæſareæ dignitatis faſtigio, eximium Religionis ſtudium, multiplicem ſapientiam, profuſam in omnes benignitatem aſpexere: cum tantum Principem blandis verbis, & patrio cuivis genti idiomate ſingulos alloquentem, ſuasque offerentem gratias audiere: diffluebant ſane gaudio, ii præcipue, qui aliam ſibi multo ſummi Principis in animo effinxerant imaginem; neque duriſſima illa agreſtis multitudinis turba ſolatii indices lacrimas continere potuit. Omnis hodie Hungaria JOSEPHI Cæſaris laudibus perſonat, ac ille

[redacted] MARIA THERES.

demum infeliciſſimus mortalium exiſtimatur, cui ejus videndi quacunque de cauſa copia non fuit A). Eadem felicitas Anno MDCCLXXIII. Transſilvaniæ obtigit, quam totam quanta eſt non ſine moleſtiſſimo labore … ncta ſollicite inſpiciens, ac … ntis felicitatem promovenda … debatur, in adverſaria more … E Transſilvania incredi … apud omne hominum genus … egreſſus, ſuperatis alpibus, in

A) Juvat hic ad poſterorum memoriam adnotare, Auguſtiſſimum Cæſarem JOSEPHUM II. Tyrnaviam die XVI. Junii An. MDCCLXX. ſub noctem appuliſſe cum Sereniſſ. Duce ALBERTO ceterisque viæ Comitibus, dieque poſtero Regio-Archiepiſcopali Nobilium Convictui Auguſtam ſuam præſentiam impertiviſſe, Domum univerſam perluſtraſſe ingenti Nobilis juventutis lætitia & gratulatione; cujus quidem auſpicatiſſimi diei memoria, quamdiu ædes iſtæ ſtabunt, perennabit. Nobilitati autem Tyrnavienſi ſui copiam fecit Auguſtus in Ædibus Illuſtriſſ. D. Sigismundi Com. Keglevich de Buzin electi Epiſc. Makarienſis Metrop. E. S. Canonici, quibus ille, eo, quo advenit veſpere, mox ſuam intulit Majeſtatem.

[redacted]

in Ruſſiam Rubram tranſiit, Nobiliſſimamque gentem Polonam in virtutis ſuæ, præſertim vero raræ prudentiæ juſtitiæ ac humanitatis admirationem rapuit. Hoc demum anno MDCCLXXV. Auguſtus Cæſar ex Italia, quam magna ſui parte iterum perluſtravit, redux Dalmatiam Croatiamque incredibili utriusque gentis ſolatio & gratulatione non otioſus ſpectator pertranſiit. Cuncta hæc Cæſaris optimi itinera ad ſubditorum ſalutem inſtituta, ad immortalem ejus gloriam plurimum facient; Cæſar autem ex iis illum etiam fructum longe maximum conſecutus eſt; ut quo pulchrius nobiliusque vectigal a ſubditis ſibi populis ſperare Principes non poſſunt, ſinceros omnium in ſe amores abſtulerit. Porro ex his omnibus, quis dubitet jucundiſſimam MARIÆ THERESIÆ enatam fuiſſe ſolatii; uberrimam item gloriæ materiem? ſinguli enim e filii præcellentia, de Matris Auguſtæ magnitudine arbitrantur.

MARIA THERES.

XVII. Quamvis autem ad MARIÆ THERESIÆ gloriam immortalem vel unius

Quanta gloria in cetera Auguſta ſobole?

MARIA THERES.

JOSEPHI Imperatoris virtus abunde ſuffi-ciat, non hæc tamen ſola illam abſolvit; ſupereſt adhuc numeroſa lectiſſimarum pro-lium corona, luculentiſſimum Divini in FRANCISCUM, & MARIAM THERE-SIAM Conjuges favoris argumentum. Ex his aliquas ceu totidem flores coelum ſibi vindicavit, quæ vel in ipſo vitæ exitu, quam pie ſanctèque inſtitutæ fuerint, te-ſtatum reliquerunt: aliæ etiamnum in lon-giſſimæ poſteritatis ſpem adoleſcunt, no-vaque Matris Auguſtæ viduitati quotidie præſtant ſolatia. PETRUS LEOPOLDUS Archidux, Magnus Dux Hetruriæ quanta pietatis & ſapientiæ laude ſubditis præſit populis: quanta Italiæ; imo totius Euro-pæ admiratione Auguſtæ Matris ſuæ virtu-tes æmuletur; nemo eſt, qui ignoret. Idem ille ex MARIA LUDOVICA Caroli Hiſpa-niæ Regis Filia jam Nepotes Neptesque dedit MARIÆ THERESIÆ; atque cum hæc primo ſcriberemus, ex Italia Vien-nam delatus Auguſtam familiam novo gau-dio cumulavit. FERDINANDUS Archi-dux MARIÆ BEATRICIS Eſtenſis ſponſus

hære-

hæreditariis in Italia ditionibus præerit A). MAXIMILIANUS Carolo Principi Lotha- rin- MARIA THERES.

Ll 6

) Hodie jam iisdem præeſt, poſt peractas A. MDCCLXXI. die XV. Octobris ſumma cum pompa nuptias, qui geminis jam prolibus filia MARIA THERESIA & filio JOSEPHO AA. auctus cum alteram hanc editionem apparamus Ann. MDCC. LXXV. menſe Julio una cum Sereniſſima Conjuge ſua Mediolano ad Auguſtam Matrem ſuam ſalutandam advenit. AUG. Mater lætitiæ ſuæ partem cum Hungaris communicatura, die IX. Auguſt. AUG. Familiam ſuam ſecundo Danubio Poſonium deduxit: cui eodem veſpere Excell. ac Ill. Com. Antonius Graſſalkovics S. Coron. Duumvir in ſuburbano Palatio ſuo choreas epulasque dedit, ſubjecto horto & arcu Triumphali multis lampadarum millibus collucente. Inſcriptiones Arcus auctorem habuere Excell. ac Illuſtr. Com. Georgium Aponi. Die poſtero Auguſta Viennam reverſa, cæteros AUG. Hoſpites in Csekléſzienſi Arce ſua convivio excepit Excell. ac Illuſtriſſ. Com. Franciſc. Eſzterházy de Galantha A. V. E. Reg. Hung. Aul. Cancellarius, quos etiam poſt meridiem jucundiſſimo oblectavit ſpectaculo, cum in vicino nemori prato, XII. neonuptorum conjugum paria non modo nuptialibus epulis refecit; verum etiam cunctis ad uſum vitæ ruralis neceſſariis liberaliſſime donavit, Tantorum hoſpi-

MARIA THERES.

ringo Belgii Gubernatori in Magni Ordinis Teutonici Magiſtri dignitate ſuccedet. Quod ad Sereniſſimas Archiduces filias attinet; ſi MARIAM ANNAM novi Virginum contubernii Pragæ ab Auguſta Matre conditi Antiſticam, [illegible] AM ELISABETHAM demas [illegible] s Nobiliſſimis per Europam [illegible] collocatæ ſunt. MARIA [illegible] ALBERTO, Auguſti Poloni [illegible] niæ Ducis, & MARIÆ JOSEPHÆ Auſtriacæ filio, Teſchini Duci,

---

hoſpitum præſentiam, & beneficentiſſimi Domini ſui munificentiam nunquam ex animo depoſitura.

Liceat huc adſcribere verſus honori Sereniſſ. Conjugum Ferdinandi ac Beatricis ab Excell. ac Illuſt. Com. Cronbergio Vice-Præſide Goritienſi concinnatos.

In Ferdinandum A A. nomine Statuum Lombardiæ.

Tempora Saturni redeunt optata, reſurgit
Virtus, Fernando Principe, Regnat amor.

In Beatricem Eſtenſem A A.

Certabant Charites ſimilem ſibi fingere Divæ,
Inque Nurum Socrus dona tulere Deæ.

[redacted]

MARIA THERES.

Duci, ac per Hungariam Locumtenenti Regio An. MDCCLXVI. die VIII. Aprilis nuptui tradita, apud gentiles ſuos Hungaros agit. MARIAM AMALIAM Ann. MDCCLXIX. *Ferdinandus* Infans Hiſpaniæ Parmæ &c. Dux; MARIAM CAROLINAM An. MDCCLXVIII *Ferdinandus* IV. utriusque Siciliæ Rex ſibi conjugio junxere. Denique anno MDCCLXX. MARIA ANTONIA filiarum natu minima Ludovico Auguſto Galliarum Delphino, nunc vero ſub Ludovici XVI. nomine Galliarum Regi copulata, novo Auſtriacam cum Bourbonica domo conjunxit vinculo. Itaque illud etiam, quod præcipuum providis Parentibus in vita ſolatium eſſe ſolet, ſingulari Numinis beneficio MARIA THERESIA conſecuta eſt, ut prolibus ſingulis pro dignitate proſpiceret. Dedit Imperio Romano Cæſarem; hæreditariis Provinciis Reges & Duces Succeſſores: Dedit potentiſſimis Regibus conjuges; Regnis Reginas. Per Auguſtam hanc ſobolem ſanguis Auſtriacus, & congenita illi Religio in univerſam Europam propagabitur, *Patriisque*

[illegible] Dux Hano. [illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]

AB

A U G G.

FRANCISCUS Stephanus
adit M. D

Conjux MARIA THERESIA Apo
nata Vi

Maria Anna A. A. nat. 6. Octob. 1738.	JOSEPHUS II. Rom. Imp. nat. 13. Mart. 1741. Rom. Rex elect. 27. Mart. Francof. Coron. 3. Apr. 1764. adit Imper. 1765.	Maria Chriſ nat. 13. M nupt. 8. Ap *Alberto* Au Polon. Princ Teſch. Duc tenenti Reg n. 11. Jul.
Maria Thereſia, A. A. n. 14. Jan. 1767.	Franciſcus Joſephus, A. A. nat. 12. Febr. 1768.	Joſephus Fe dus A. A. n Maji 1769.

. VII.

dit 1735.

Maria Antonia A. A. nat. 2. Nov. 1755. nupt. 1770. *Ludovico* XVI. Auguſto Galliar. Regi.	Maximilianus A. A. nat. 8. Decem. 1756. Coadjut. M. Mag. Ord. Teut. a 3. Octob. 1769.

. Joſephus A. A. nat. 13. Maji. 1775.

LENCHUS
JÆSTIONUM
PARTIS TERTIÆ.

.TIA SEU AUSTRIACA REGUM HUNGARIÆ PERIODUS.

hac periodo rexere Hungariam? ...... Pag. 1
Regni Hungarici ſtatus? 4
noxii motus inteſtini? 6
Religionis damna? 10
odo reparata? 13
nerita Regum Auſtriacorum in Hungariam? 19

RDINANDUS I. REX XXXIX. ROM. IMP. 23
& qua pompa inauguratus? .... ibid.
roſpectum Regiæ ſecuritati? 26
interea mali conflatum Hungariæ? 28
odo inſtauratæ JOANNIS partes? 32

Quan-

Quando occupata a Turcis Buda? 34
Quomodo ſolio redditus JOANNES? 37
Quanta inde Reipublicæ perturbatio? 40
Quam improſpere res geſtæ cum Turcis? 44
Queis capitibus pax æmulos inter coaluit? 47
Quid de Conjuge, & obitu JOANNIS? 50
Ab ejus obitu, quæ Zápolianorum conſilia? 54
Quis belli in ISABELLAM ſucceſſus? 57
Qua fraude Buda potitus Solimannus? 61
Quæ exinde Turcici Senatus conſilia? 64
Quid demum de Regina, & pupillo conſtitutum? .. 67
Quæ Turcarum in Hungaria progreſſiones? 70
Quæ occaſio uniendæ iterum Transſilvaniæ? 74
Quibus id pactis effectum? 78
Quæ cædis F. Georgii occaſio? 82
Cur revocata in Transſilvaniam Iſabella? 89
Quomodo vitam clauſit? 92
Quæ ſuprema FERDINANDI ſtudia? 95
Quanto ſui relicto deſiderio obiit? 98

MAXIMILIANUS REX XL. ROM. IMP.

MAXIMILIANUS REX XL. ROM. IMP. 106
Cur induciæ cum Turcis ruptæ? .... ibid.
Quis MAXIMILIANI in bellum apparatus? 108
Quomodo deluſus a Turcis JOANNES Transſilvanus? 112
Qui ſupremi Solimanni labores? 114
A morte Solimanni quæ Cæſaris ſtudia? 117
Quibus pactis pax coaluit? 119
Quid negotii cum JOANNE Transſilvano? 121

Quo-

Quomodo demum lites terminatæ? 122
Qui recepta in fidem Tranſſilvania? 125
Quid negotii Poloniæ cauſa? 135
Quid actum pace in Hungaria? 139
Quæ generis querimoniæ? 141
Qua laude vixit MAXIMILIANUS? 145

RUDOLPHUS REX XLI.

ROM. IMP. 147
Qui conſtituta initio Reſpublica? .... ibid.
Unde ortum bellum Turcicum? 150
Quis Hungarorum in bellum apparatus? 156
Quis belli ſucceſſus? 160
Quæ occaſio fœderis Tranſſilvanici? 162
Quibus pactis fœdus initum? 169
Quibus artibus corruptum? 173
Quæ inde turbæ in Tranſſilvania? 178
Unde orta ſeceſſio Botskaiana? 180
Quibus mediis aucta? 183
Quo Hungariæ damno? 185
Quomodo ſedata tempeſtas? 188
Quæ præcipua capita pacis Viennenſis? 191
Quid actum poſtea? 195
Qua laude vixit RUDOLPHUS? 197

MATHIAS REX XLII.

ROM. IMP. 200
Quibus viis Regnum adeptus? .... ibid.
Quando inauguratus? 205
Quietumne illi Regnum? 206

Quæ

Quæ cura de ſucceſſore? 209
Qua laude vitam clauſit MATHIAS? .... [illegible]

FERDINANDUS II. REX XLIII.

ROM. IMP. 215
Quam turbata Regni initia? .... ibid.
Unde [illegible] Bohemicum? 216
Quæ [illegible] 219
Quomo[illegible] 222
Quæ a[illegible] ni ſors, ... 225
Quæ it[illegible] 228
Quam [illegible] tia? 231
Quibus [illegible] ligio in Hungaria? 233
Qua laude vitam poſuit FERDINANDUS? 236

FERDINANDUS III. REX XLIV.

ROM. IMP. 240
Quis ſtatus Reipublicæ in aditu Regni? .... ibid.
Unde ortum bellum Rákotzianum? 243
Quo ſucceſſu geſtum? 245
Quo exitu terminatum? 246
Nihilne deinceps turbarum? 248
Quæ ſupremæ Cæſaris curæ? 252

FERDINANDUS IV. REX XLV.

ROM. IMP. 255
Quantas ſpes moriens abſtulit? .... Ibid.

LEOPOLDUS M. REX XLVI.

ROM. IMP. 257
Quam fauſto omine inauguratus? .... ibid.

Quid

QUÆSTIONUM.

Quid ei negotii Transſilvaniæ cauſa? 260
Quæ primi belli Turcici ſemina? 264
Quis tum rerum Hungaricarum ſtatus? 266
Quæ Turcarum ad id bellum ſtudia? 269
Quis ſucceſſus? 272
Quis exitus? 275
Quibus pactis conflatæ induciæ? 279
Quibus de cauſis eæ initæ? 280
Unde orta Hungarorum alienatio? 286
Quam perturbatus Hungariæ ſtatus? 288
Quæ adhibita remedia? 294
Quæ Tökölìani belli damna? 298
Quis fructus comitiorum Sopron.? 303
Quæ origo alterius belli Turcici? 307
Quæ fortuna ad Viennam, & alibi? 308
Quomodo recepta Buda? 311
Qui illius fructus? 315
Quanta CÆSARIS gloria continuatum bellum? .. 317
Quomodo mutata fortuna? 319
Quomodo concluſa pax Carlovitzenſis? 322
Quorum opera e ſervitute vindicata Hungaria? .. 325
Quomodo introducta ſucceſſio Maſculina? 328
Quando peracta JOSEPHI Regis inauguratio? .. 330
Quis Hungariæ ſtatus poſt comitia? 334
Quæ initia belli Rákotziani? 336
Quam funeſtum Hungariæ? 340
Quæ CÆSARIS eapropter conſilia? 244
Quis bello ſucceſſus? 349
Quo tempore vitam clauſit LEOPOLDUS? 351
Quæ illius memoria? 352

JO-

JOSEPHUS I. REX XLVII.

ROM. IMP. 356
Quam difficile Regnum adiit ? . . . . ibid.
Quam inutiliter tentata pax ? 357
Quid actum in conventu Onodienſi ? 361
Quid co [illegible] SEPHO ? 365
Quæ Po [illegible] ſtudia ? 367
Qui Jo [illegible] em conatus ? 369
Quæ i [illegible] tes ? 371
Qua de [illegible] inita ? 373
Quibus [illegible] otzio gratia ? 375
Quibus [illegible] deratis ? 376
Qua tempeſtate obiit JOSEPHUS ? 379
Quæ illius dotes ? 380

CAROLUS III. REX XLVIII.

ROM. IMP. 382
Quando Regni poſſeſſionem adiit ? . . . . ibid.
Quam provide inſtaurata Reſpublica ? 386
Quid in ſacra Republ. ordinatum ? 391
Quæ primi belli Turcici origo ? 394
Quis in bellum apparatus ? 396
Quomodo præluſum victoriis ? 398
Quis ſucceſſus ad Petrovaradinum ? 400
Qui ſubacta Temeſia ? 407
Quo fructu ? 412
Quis apparatus ad Belgradum ? 415
Qua arte Danubium tranſiit EUGENIUS ? 418
Quomodo caſtra metatus ? 419

In

In quo periculum conjectus a Turcis? 420
Quanta gloriæ illud ſuperavit? 423
Quæ victoriæ magnitudo? 428
Quæ pacis ineundæ occaſio? 431
Quæ conditiones? 433
Quanta conſenſione ſucceſſio fœminina introducta? 435
Quæ præcipue perlatæ tum leges? 437
Quomodo conſultum juſtitiæ? 442
Quomodo inſtitutum conſilium Locumtenentiale? 444
Quibus legibus res militaris temperata? 449
Quid actum præterea? 453
Quæ inde in Rempubl. commoda? 455
Unde ortum bellum Turcicum? 459
Qua fortuna geſtum? 461
Qua pace terminatum? 465
Quo ſuorum luctu ereptus CAROLUS? 467
Quibus enituit virtutibus? 470

MARIA THERESIA REX XLIX.
ROM. IMPERATRIX 474

Quam lætis auſpiciis ad Regnum acceſſit? .... ibid.
Quando coronata? 476
Quanto mox objecta diſcrimini? 479
Quæ Hungarorum in eam ſtudia? 481
Quam opportune apparatum bellum? 485
Quo ſucceſſu geſtum? 486
Quam glorioſo exitu terminatum? 492

Qui

Qui mox Reginæ in gentem Hungaram favores? 497
Quæ procurata Regno ornamenta? 501
Quæ conditæ ab ea Nobilium Academiæ? 507
Quid præterea commodo Juventutis factum? 511
Quæ rei litterariæ ratio? 513
Quæ ... ndo media poſita? 517
Quæ ... licitas? 519
Cui h 521
Quæ ... IÆ gloria in JOSE- 530
Quan ... ugusta ſobole? 539

F I N I S

QUÆSTIONUM PARTIS TERTIÆ.

ERRATA. CORRIGE.

Pag.		Lin.	
16	N. A) vulgabit	4	vulgavit
23	equitibus	15	equitibus
35	conjicere	17	conjecerint
45	potientes	12	potientes
65	Solimannis	22	Solimannus
79	remunciatas	5	re munciata
83	oppugnato	20	oppugnatio
86	manens	22	manans
130	ſacere	13	favere
131	principis	16	principio
151	MDCXIII	25	MDXCIII.
152	Petro Erdődi	1	Thoma Erdődi
157	duplicis	2	dupli eis
158	moram	5	morem
160	etiam iſta belli	3	etiam tota belli
162	annos	7	in annos
170	hæc caſu	15	hoc caſu
ibid.	ipſe	23	ipſe Sigismundus
175	vera	6	vere
196	qui Andreæ	19	ſilii Stephani ſilius
197	ſorea	6	ſore ,
204	A) Is	1	Id;
210	Not. proſpiciatut	4	proſpiciatur
292	Hunris	12	Hungaris
299	A) redactio	2	redacto
343	auctoritati	6	auctorati
362	Calendas Julii	8	Calendis Junii
365	Rákotzius	5	Rakotzius ante comitia Onodienſia

per

ERRATA. CORRIGE.

Pag.		Lin.	
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]	[illegible]

[illegible]

DB
924
P3
1775
V.3

Stanford University Libraries
3 6105 013 433 912

Libraries
rnia

Return this book on or before date due.